COMMENTARII

IN

PHARMACOPOEAM

AUSTRIACAM MILITAREM

NOVAM,

IN USUM

MEDICORUM CASTRENSIUM

AUSTRIACORUM.

EX GERMANICA

IN LINGUAM LATINAM

VERSI.

VIENNAE AUSTRIAE,

APUD A. CAMESINA.

1800.

PRAEFATIO.

Praecepta, principia et propria persuasio idem praestare bonum in scientiarum ambitu debent, quod praestant in rebus mechanicis exercitium, disciplina et mandata. Quo solo intuitu spectatur utilitas imo necessitas Commentariorum, qui hic praemissae novae Pharmacopoeae militari subjunguntur; ut ex iis, quamvis illis medici primi ordinis non habeant opus, alii tamen plurimi factarum muta-

tionum rationem, ex ipsa veluti scientia inductarum, intelligant, simulque ad easdem in usum trahendas compendiosam acquirant instructionem.

Nostra hac aetate, qua Medicina per Physicam illustrata tantos progressus fecit, poterat equidem cum ipsa hac scientia benefica, tum res publica, et strenuorum exercituum austriacorum salus, imo vel ipsa Austria literata, omnes aequali suo jure, expostulare, ut res pharmaceutica militaris caesarea convenientius institueretur ad genium medicinae hodiernae. Ut itaque ex inutilibus illis veluti antiquitatum medicamentariarum receptaculis, quorum auctoritas labefactata unicuique observatori denuntiat imperitiam aevi, quo instructa fuerunt, repositoria fierent ad finem accommodata, quae scilicet pro aegroto saucioque milite et

pro

pro medico perito contineant remedia ex omni quocunque respectu optima. Hac in re quantum praestitum sit, docet Pharmacopoea nuperrime edita; et hoc opusculum determinatam reformationum in re pharmaceutica militari factarum explicationem dabit. Pauca tantum hic praemittenda videntur de ejusdem ordinatione.

In universum ad grave medici officium pertinet, hominum servare sanitatem, quoad omnibus viribus possit. Cum autem multimodis plus lucri est, sanum ab ingruente morbo defendere, quam mederi jam aegrotanti; hinc non videbatur incongruum, in opere, in quo de remediis ad curandos militum morbos agitur, etiam medicis castrensibus junioribus in bellico suo munere necdum probe versatis, monita praescribere quaedam, qua possint ratione, medios inter milites sanos,

nos, suam quoque conferre opem, ut morbi avertantur, quibus miles, ut homo, saepe diu affligitur, et aeque diu operae militari subtrahitur, etiamsi non semper occumbat. Propterea in Prooemio observationes aliquot generales praecedunt de officiis medici castrensis in custodienda militis sani valetudine.

Commentarii ipsi in Pharmacopoeam novam in quatuor sectiones abeunt. In sectione prima sistitur prospectus catalogi medicamentorum non solum illius, qui jam antea fuit impressus, sed etiam alterius cujusdam, qui, praelo nunquam datus, a medicis castrensibus plane ignorabatur, utpote solis cum laboratoriis pro norma communicatus. Sequitur dein elenchus medicaminum simplicium, praeparatorum et compositorum, quae ex pharmacopoea nova rejecta sunt. Ad

cu-

cujusque rejecti nomen causa rejectionis paucis recensetur.

Altera sectio nominatim complectitur pharmaca illa, quae ex priori apparatu sunt conservata. Haec licet talia sint, quae a medico practico non facile in dubium vocentur; visum nihilominus est in juniorum medicorum emolumentum, ipsa etiam haec subinde observationibus practicis circa genuinum eorundem usum illustrari posse.

In sectione tertia, ubi agitur de remediis novissime receptis, eodem proceditur modo.

Quarta tandem sectio tota in eo vertitur, ut tam mutationes indicentur, in pharmacorum compositionibus factae, quam ut prospectus exponatur criticus

for-

formularum in nosocomiis exercituum caesareorum prius adhibitarum.

PROOEMIUM.

De medici castrensis officio in custodienda militum sanitate.

Sapientem belli ducem optimum esse, aut certe esse oportere, sui exercitus medicum, jam a Vegetio ad usque Montecuculi et Marescalli Saxoniae tempora nemo, non tantum medicae, sed etiam bellicae scientiae gnarus unquam in dubium vocavit. Omne enim systema militare, in quo non id agitur, ut militis sanitas, cum habito respectu ad quascunque, a quibus pendere illa potest, causas conservetur illibata, ocyus serius adventurae

nec

nec inhibendae, exercitus extenuationis seminia in se recondit. Poterunt quidem disciplina medica praestantissima summique in hac arte viri omnimodam hanc exercitus labefactationem retardare, neutiquam vero plane antevertere. Propterea etiam systemata militaria regnorum bene institutorum niti hoc fundamento debebant, et conservationem militis sani proponere ceu rem maximi momenti, non solum exercitus totius, sed etiam vel minimarum copiarum praefecto, adeoque tam decurioni quam summo belli duci. Hinc nostra aetate fere omne systema militare pro barometro est, ad cujus scalam viri sagaces gradum humanitatis a diversis gentibus excultae sat recte dijudicare possunt.

Quantopere nunc systema militare austriacum humanitate excellat, palam est. Si quis vero est, qui ignoret, consulat ille decreta militaria, quibus convinci possit, quanta cum philanthropia

sum-

summa illa lex de militis sanitate conservanda vel implicitissimis belli casibus et vel ipsis etiam non evitandis maximis periculis sit accommodata; tum etiam quam sapienter pro omni officii militaris genere certa ac definita super hac re extent praecepta, quae jubent et ducem et infimum quemque praepositum sanitatem subditorum militum, quoad fieri possit, tueri. Medicus castrensis austriacus, experientia edoctus, apprime novit, non silere has leges, sed vel ipsis in bellis asperrimis, modo tunc ne inter res impossibiles sint, vigere.

Quantumvis hoc modo princeps norma ad custodiendam militis sanitatem in universum stabilita sit, occurrunt nihilominus in vita militari positiones innumerae, quae morbis concipiendis favent, et ubi militi, ut det commilitoni consilium, nec satis est peritiae, nec superest otium. Hinc tunc praesto est medicus castrensis, qui apud omnes nationes bene institutas

non

non perpetuo cum militibus aegrotantibus in nosocomiis degit, sed non minus etiam frequenter cum milite in tentoriis aut in stativis eodem sub tecto moratur. Hic ex officio suo medicus attendat ad singulares individuasque status militaris qualitates, quarum ex cognitione praepositos militiae sic ducere conetur, ut quae exinde fluxissent noxae in militum valetudinem, in quantum res ferat, declinentur. Medicus enim, qui morbos antevertit, multis nominibus utilior patriae magisque venerandus est quam ille qui jam aegrotantes incolumitati restituit. Haud secus ac ille, qui hominem jam jam praecipitantem imminenti periculo eripit, melius de societate meretur, quam si eundem, antea praecipitem agi passus, nunc demum ex praecipitio expedire anniteretur. Poteratne ille prius quoscunque hujus praecipitationis eventus ad calculum revocare?

Unicuique ultro patet, a sola hic medici-

dicina militari politica auxilium exspectari posse. At vero haec pendet a normali studii medici disciplina non minus quam a seria optimorum auctorum lectione, quam utramque in tot medicis castrensibus desiderari, palam est, quibus nihilominus valetudo militum tuenda committitur. Quamobrem in hoc opere, ubi de remediis ad debellandos morbos agitur, haud videbatur incongruum, mox in ipso limine iisdem illis medicis monita proponere aliqua super modis, quos habet medicus prudens in potestate, praecavendi militum morbos et ortam hinc longam ad munus obeundum impotentiam.

Solus juvenis sanus et robustus improbis vitae militaris laboribus perferendis par est; quin etiam corpus per hos indies durat. Et quo saniores sunt milites, eo majorem firmitatem, stabilitatem ardoremque habet exercitus, utut perexiguus. Propterea quoque tirones sistun-

tuntur medico castrensi, qui ex officio suo de individua eorumdem sanitate cum certitudine ad praepositos renuntiat, ut, qui apti inventi sunt, ad militiam conscribantur. In statutis jam promulgatis externorum quidem vitiorum, quae tironem ad militiam reddunt inhabilem, indicia enumerantur, at non aeque signa diagnostica illa, quae aliorum organorum, minus oculis perceptibilium, incolumitatem et integritatem medicum docent.

Medicus igitur in examine tironum ad sequentia robustae compagis firmaeque sanitatis indicia attendat, atque tum dilectum habeat, si quidem detur dilectui locus.

Signa roboris firmaeque valetudinis haec sunt: Caput in proportione ad corpus magnum, ad occiput adspectu rotundum. Cervix fortis et torosa. Color faciei sanus. Oculi vividi. Dentes integri et firmi. Gingivae firmae et rubidae. Pectus

latum

latum et antrorsum bene fornicatum. Humeri validi. Respiratio lenta, profunda et simul commoda. Pulsus fortis, aequalis, nec animi affectibus facile perturbandus. Cutis multum elastica et pilis probe obsita. Musculi duri. Ossa crassa. Verbo temperatio corporis robusta. Hic ille homo, ad pugnam ut ad laborem aptissimus.

Signa vero sanitatis debilis et facile labascentis habentur sequentia. Caput parvum cum occipite angusto. Cervix gracilis et longa. Color faciei pallidus aut plumbeus. Oculi languidi. Gingivae tumidulae et pallentes. Anima male olens. Pectus angustum et complanatum. Scapulae alarum adinstar abstantes. Respiratio cita, paulo laboriosa. Pulsus debilis, ad animi affectus variabilis. Cutis tenera pilisque fere destituta, quae in plicam elevata se in pristinum statum lente restituit. Caro flaccida. Ossa gracilia. Incessus segnior veluti subrepentis.

tis. Uno verbo in universum corporis compages infirma. Hujusmodi homines ad agriculturam vix idonei sunt, multo minus ad capessenda arma. Potest quidem adolescentiae quando corpus ad perfectionem virium nedum increvit, ratio haberi aliqua; at vero experientia etiam nos docet, hujus generis adolescentes saepe prius succumbere, quam patriae utiles esse coeperunt. Atque haec dicta sint de tironibus, in quantum respectu habitus externi de his judicare medici est.

Nunc etiam dicantur quaedam, ad medicum pertinentia, dum una cum milite sano in castris, itineribus, habitationibus vel stativis versatur.

Aestus magnus et *assiduus* in castris militem in morbos maxime proclivem reddit. Conatur quidem miles se ab illo, quoad potest, defendere, sibique, sublata tentorii postica tela, ope venti permeantis comparare refrigerium. At vero

ro

ro haec saepe fiunt praeter modum; quin etiam tentoria sic aperta noctu manent; unde in locis imprimis Hungariae demissioribus aliisque regionibus udis paludosis et montanis, ubi diebus aestivis valde aestuosis noctes succedunt frigidae, non raro dysenteriae, pleuritides morbique rheumatici pertinaces originem trahunt. Non est, quod medicus exspectet, donec milites, ex memorata forte causa aegrotantes, sese denuntiant plurimi; sed ubi primum tentoria nocturno tempore sic adaperta videt, continuo militiae praepositos de periculo admoneat.

Oriuntur etiam noxae non minus frequentes, imprimis insolatio, quando milites in stationibus agrariis (Vorposten) aut a campestri exercitatione delassati, sub sole aestuante humi procumbunt, nudatoque capite quiescendo obdormiscunt. Et hic etiam prudentia medico dictabit

modum, quo apte possit per praepositos hoc malum anteverti.

Saepissime accidit, ut milites ab exercitatione in stratiodochia (Kasernen) reduces, vestem adusque indusium repentino deponant, portas fenestrasque pandant, et vel sudore adhucdum madentes ad fontem festinent, quo sitim subitaneo frigidae haustu levent. Repentini hujus refrigerii sequelas nemo facile supputabit. Norunt medici practici, qui inter milites diu vixerunt, quoties et quam subito hinc tumores in collo strumosi, ophthalmiae, pleuritides inflammatoriae aliique morbi fuerint exorti. Omnis medicus, qui militiae suae praefectum inducit, ut ad tanti momenti rem animum intendat, de milite praestanter merebitur seque praefecto sagaci optime commendatum intelliget.

Quanta cum prudentia in itineribus milites tractandi sint, sicubi aestuante

so-

sole ad fontes aut fluvios accesserint; quibus in circumstantiis et quibus sub cautelis bibendi facultas ipsis concedi possit, praefecti ipsi in mandatis praescriptum habent. Solo hoc casu, ubi aqua hauriretur ex fluvio, et observaret medicus fieri hoc prope ripas, adesse consilio suo debet; quoniam vel optimi fluvii aqua perpetuo ad ripas magis minusve impura et stagnando in putrefactionem pronior est; quae autem versus medium fluit, semper purior est, adeoque potui magis idonea.

Potest tamen etiam istiusmodi impurior aqua, ut sitim extinguere miles aestu et itinere debilitatus queat, corrigi, dum acetum, vinum aut spiritus vitrioli eidem instillatur, aut horum defectu ope salis tartari essentialis, qui pyxidi parvae inclusus portari commode potest, et quam additus spiritus vini vulgaris magis refocillantem reddit.

Quantopere lavationes in fluvio puro conducant tempore aestivo sanitati militum, tantopere medicus ex sua parte per praepositorum mandata impedire conetur, ut ne milites, post iter aut exercitationem calentes et sudore suffusi, confestim in gelida se lavent.

Frigus magnum et *continuatum* ex adverso non minus suos exserit in castris, stationibus itineribusque militum sanitati nocivos effectus. Perniones et necroses nasi, aurium, digitorum, manuum ipsarum pedumque utplurimum accidunt frigidissimo hyemali tempore, ubi gelu miles diu exponitur. In hisce casibus id maxime medico sit cordi, ut stationum, transportationum, itinerumque militarium praepositos de cautionibus necessariis admoneat. Ipsa vero partis alicujus corporis congelatio non maximum semper est malum, nisi error accesserit, dum pars congelata subito majori calori exposita fuit; pessimae enim a congelatione noxae-

xae, vel ipsa etiam gangraena, plerumque tum sequuntur, quando stationarii post deductas vigilias, aut cohortes ab itinere, cubicula calefacta derepente ingrediuntur, aut in tabernaculis (Hütten) ad caminos furnosve propius accedunt. Contra haec mala medicus cautiones sequentes consilio suo suggerat. Si gelu saevum sit, si vigiliae tam remotae, ut ne deductio horaria locum habere possit, vel si iter in summo frigore faciendum longum, milites manus suas, pedes, nasum auresque sebo inungant. Eaedem partes si ex frigore insensiles ac veluti emortuae evaserunt, illico tam in ipso itinere quam post idem absolutum nive aut gelida tamdiu probe fricantur, donec sensus vitaque redeant. Militibus serio interdicatur, ne in cubicula calefacta ocyus se recipiant, aut calori exponant partes congelatas. Gradatim duntaxat et multa cum praecautione calor externus parti congelatae applicandus est.

Appo-

Apposite hic facienda est mentio de perversa consuetudine illa, quae asperrimo hiemali tempore egregiis saepe militibus sanitate imo vita constitit; dum scilicet in praesidiis et stativis (Garnisonen und Cantonirungen) vigiliarum tuguria (Wachstuben) praeter modum calefiunt. Quando excubitor, posteaquam unam alteramve horam in statione mansit, nunc deductus, sed totus frigore rigens, calida haec, et nimia militum multitudine persaepe occupata, tuguria ingreditur, non potest non repentinus ille ex frigidissima in calidissimam atmosphaeram transitus pessimos producere effectus; cujusmodi non raro sunt peripneumoniae et pleuritides lethales, aut, si quidem mitius agit, anginae et tussis diuturna cum coryza. Ex adverso similes noxae oboriuntur, quando milites, plures horas in calefactis illis tuguriis commorati, ad deducendas excubias prodeunt, atque sic ex summo calore in saevum et diuturnum frigus transire ocyus coguntur. Semper,

quam

quam maxime vero si reapse jam ex hac causa aegrotare quemquam intellexerit, medicus de sanitate militis et de patria optime merebitur, si praefectos induxerit, ut excubiarum praepositis injungatur temperata tuguriorum suorum calefactio, aut saltem ut ne deductis excubitoribus permittant subitaneum in tuguria nimiopere calefacta introitum.

Nec minus militum *victus*, quantumvis hic ex lege ad politiam legionariam proprie pertineat, meretur medici castrensis vigilem attentionem, ut, si quam in cibis potuque factam fraudem detegit, hanc bona fide denuntiet, atque ita etiam eo contribuat, ut ne militum valetudo detrimentum patiatur. Saepissime fructus immaturi, fungi venenati, olera corrupta et semiputrida, casei pessimi, acetaria ex corruptis herbis, lentibus vel phaseolis cum olei rancidi additamento, indigestibiles bovilli pedes in acetarium praeparati, farcimina foetida, farinaeque

subac-

subactae et ex fervido malaeque notae butyro simili aliave pinguedine frictae species, quam vulgo *Colatschen* nominant, militibus in stratiodochiis et castris numerata pecunia venduntur, ab iisdem sine ulla mali suspicione assumuntur, et pessimorum morborum gastricorum fomitem generant. Tum etiam medicus et politia legionaria diligenter curent, ut ne pecora in castra ad lanienas introducantur aegrota, vel ut ne carnes venundentur itidem foetidae, cerevisia, vinum, vinique spiritus adulterata et corrupta. Harum rerum argumenta adferre firma est ex scientia sua in facultate medici, qui vi muneris sui easdem ad praefectos deferat, ut promptissima validissimaque contra noxiam hanc vilium lucripetarum hominum agendi rationem remedia adhibeantur.

Habitationes (Quartiere) ad militum valetudinem quam maxime faciunt. Vel enim sunt habitacula ex se ipsa nociva, aut,

aut, si non sunt, nociva evadere ab inhabitatoribus possunt. Prius locum habet, si parietes hument vel uti mucedine obducti, si sint humilia, si profunde sita si ex saxis aquam attrahentibus exstructa, et a maximis aedificiis circumdata, quae praeterea aeris purificantis solisque benefici impediunt accessum. Ab inhabitatione noxiae evadunt, dum nimia militum multitudine occupantur, nec atmosphaera, a tot hominum exhalationibus corrupta iterato et sufficienter pro re nata corrigitur, reficiturque. Utut igitur hoc negotium inter res ad politiam legionariam spectantes numerari oporteat, debet tamen medicus etiam hic consilio adesse suo, quoties damnosum illum habitaculorum statum advertet, et ex militum obortis morbis argumenta jam certa horum effectuum nocivorum proponere poterit. Summa consiliorum sit, ut milites spatiosius collocentur, aer fenestras interdiu saepius aperiendo, aut sic dictorum ventilatorum ope renovetur; milites vetantur

tantur in cubiculis suis lavare se, aquam effundere, atque ita permadefacere pavimentum; imprimis ut mulieribus interdicatur linteorum in cubiculis lotio eorundemque ad exsiccationem suspensio, quin potius jubeantur, cubicula quotidie probe mundare, lectos, dum verrunt, retrahere a pariete, culictasque stramineas vertere diebus singulis. Puteorum etiam consideratio in stativis (Standquartiere) inter medici munia est. Aqua naturalissimum communissimumque militi potum praebet; quae si mala est, pro causa venenata, cur milites in morbos dilabantur, haberi potest. Medico igitur quam maxime curae sit puteorum examen, et correctio aquae, quam esse malae indolis comperuit, imprimis si ab incolarum morbis ad simile aquae vitium conjectum duceretur.

Medico summi res momenti est notitia accurata et individua stativorum hiemalium (Cantonirungen in Winterquartieren). Experientia multifariam docet, solere

lere utplurimum numerum militum aegrotantium adaugescere, quando exercitus in hiberna dimittitur. Donec copiae aestivant, habentque, quod cum hoste, cum tempestatis inclementia, cum inquietudine perpetua, imo cum ipsa saepe fame et siti agant, in exercitu sanitas haud valdopere afficitur; atvero vix per paucas hebdomadas copiae hibernarunt, quin subito morbos numerosos adesse videas. Plerumque id contingit in legionibus pedestribus; dum interea aequitatus satis firma fruitur valetudine. Cujus quidem rei causam medicus attentus ipse sibi explicabit. Huc facit repentina haec nec interrupta in stativis quies (Standquartire) post vitam constanter tam actuosam, qualem castra aestiva exigunt. Celer ille transitus ex atmosphaera libera in atmosphaeram habitaculis inclusam: nimia militum multitudo in cubiculis parvis humidisque in stativis contractis, imprimis illarum legionum, quae hosti proximae sunt: istiusmodi cubiculorum nimia calefactio,

ſactio, magis nociva, si illa majore militum numero occupantur, quod fieri necesse est, nisi ecclesiae, horrea, similiaque aedificia, in usum tracta, incommodum imminuant. Penuria olerum, fructuum et vini: omnia haec aliaque plura adjuncta certatim contribuunt ad corrumpendam militum valetudinem, et veros morbos evolvunt, ubi sola aliqua in morbos suberat proclivitas. Quum vero equites ex adverso longe lentius ex summo motu in summam quietem transeant, quia in hibernis etiam plures diei horas impendunt in equorum curam; et quum propter necessariam equorum stabulationem utplurimum etiam ipsi spatiosius locentur; tandem quoque equites stipendium paulo majus mereantur, atque hinc meliuscule vivere possint, propterea tot hic adjuncta cessant, quae praecise ad peditum hybernantium morbos frequentes ansam praebent. Hinc facile intelligitur, quid agendum sit, ut causae horum morborum in hybernis, si tolli omnimode ne-

que-

queant, saltem haud mediocriter enervari possint. Solo autem hic iterum consilio suo auxiliari medico datum est, dum praefectos ad hanc rem reddat attentos, impellatque, ut habitacula ad normam supra memoratam serventur munda; praecipue ut stramen dormitorium quotidie mane ex habitaculis fores efferatur; ut milites non tantum mundationis et ventilationis tempore ex cubiculis dimittantur, verum etiam quotidianis moderatisque exercitiis militaribus in vita actuosa, quoad opus est, retineantur; ut nimia mucescentium tabernaculorum calefactio serio interdicatur; ut casei putridi aliorumque ciborum nocivorum usus impediatur; ut curetur, quo phaseoli, lentes aliaque similia cocta subinde addito vini aceto grate acescant, et caro bona, brassica rapaque salitae, armoracea aceto condita, potusque ex cerevisia, vino, vinique spiritu bonae notae levique pretio militibus praeberi possint.

Ex

Ex observatis constitit, saepe, idque imprimis inter equites, manifesta scorbuti signa adverti, quando milites aut in humidis mucescentibusque habitaculis, quae stabulis superinstructa sunt, degunt aut in ipsis stabulis habitant. Ut primum hoc medicus cognovit, praefecto denuntiare oportet, ut ne indies plures hoc malo plerumque diuturno afficiantur.

Mundities maxima est ad conservandam militis valetudinem res summi momenti, quae tanto majorem vigilantiam postulat, quanto difficilius alioquin in ordine hominum haud commodissime habentium illa obtineri potest. Spectat autem haec ad politiam legionariam. Poterit tamen etiam hic medicus ad damna praecavenda contribuere plurimum. Aliunde inspectiones cohortum chirurgicae bihebdomodales vel menstruae ex lege sunt. Uti medicus tunc milites solo habito respectu ad labem veneream examinare solet, eodem sic etiam tempore examen

men suum aliis non minus circumstantiis commodare necesse habet, exempli causa, utrum scabiosos in legione inveniat; qui a societate mox separandi, ne scabies alios inficiat; quorum etiam lecti illico tollendi cumque sanis commutandi sunt. Porro an non sint, qui pediculis inguinalibus laborent, quod militibus saepe accidit, unde phthiriasis vera nonnunquam sequitur, sanitatem pessumdatura. Tandem utrum pedes mundi sint, nec sint ungues nimiopere elongati; quos in hoc casu coram se praescindi jubebit; quia ungues nimis longi ob productionem pedis digitorumque inflexionem, saepe in causa sunt, quod in itineribus vesiculae oboriantur, quae ruptae ulcera relinquunt, militem ad munia per hebdomadas ineptum reddentia. Haud raro cutis militum per castrorum moram, per itinera, per pulveres et pluvias, admodum sordescit, quae sordes ipsae varios morbos cutaneos producunt. Hisce in casibus medicus optime aget, si calidis aestivis ves-

per-

pertinis milites ad lotionem in proximo puro fluvio deducendos consuluerit.

Quod ad indusiorum et reliqui vestitus munditiem, ad calceorum conditionem, aliaque similia attinet, haec jam curantur a praefectis. De munditie habitaculorum supra dictum est.

Ratione *poenarum* medicus tunc, quando interrogatur, possitne aliquis, respectu habitae suae valetudinis, subire poenam, nec ne? magna cum prudentia, imo ex ipsa sua individua militis notitia judicium aequum pronuntiabit. Non illi licet statuta militaria occupare; quae, utut sint severa, tamen aegrotanti parcendum esse volunt. Sed contra non minus sibi caveat, ne omnimodis simulandi artibus decipi se, ac deinceps ludibrio se exponi patiatur.

Hactenus igitur de quibusdam medici officiis ad custodiendam militum sanitatem,

tem, tanquam per mera fragmenta, actum fuit. Pro certo ponebatur, primi ordinis medicos, si non Academiae institutis, experientia tamen edoctos, his instructionibus non egere; at vero tanto convenientius secundi tertiique ordinis illos per easdem admoneri de hoc genere officiorum conditionis suae posse, atque ad illa praestanda sic denuo incitari. Multum tamen imo plurimum abest, ut haec fragmenta conspectum offerant absolutum officiorum medici; quin longe hic aberrat ille scopus. In posterum id agetur, ut haec disciplina ex ipsa Academia exeat, atque in medicos castrenses emanet.

Interea, antequam huic prooemio imponitur finis, pauca adhuc verba facienda sunt de alio medici officio, non minus gravi; scilicet de tractandis militibus, aut in morbos inclinantibus, aut morbo jam affectis, dum etiamnum in castris vel praesidiis extra nosocomia morantur.

Saepe milites abnormi suo vivendi modo digestionem vitiant; quod malum sat cito tollit remedium pro re nata opportune datum, aut solvens ex sale medio vel neutro, aut emeticum aut purgans, addito tandem spirituoso amaro, ut propterea milites in nosocomium mitti non sit opus.

Vulnera levia secando aut caedendo, tum etiam simplicia pungendo inflicta, deligatione adunante, rite facta, aeque cito apud centurias quam in nosocomio sanantur. Nec magis abscessus superficiales, ulcera simplicia, contusiones leviusculae, ambustiones haud notabiles, terga a supplicio sanguinolenta, aliaque similia, nunquam medicum inducant, ut militem in nosocomium transferendum curet, sicuti nec praefectum moveant, quo ob parva haec damna militibus nosocomio tradendis insistat.

Omnium frequentissime scorbutici a-

man-

mandari ad nosocomia solent, ubi ut plurimum haec ipsa nosocomia sunt, in quibus illi curentur aegerrime. Modo hic morbus ne longius provectus sit, multo ageretur consultius, si ex tentoriis castrensibus, in quibus semper nimius contubernalium numerus est, traducerentur in alia, pro ipsis a tergo exercitus fixa, ubi spatiosius habitare liceret. In praesidiis non minus cubiculum unum (aut, si opus, plura) in stratiodochiis pro iisdem praeparari facile possent. Quando in aere aperto et puriori, accedente motu moderato, victus vegetabilis melior magisque alibilis, et usus brassicae salitae, lactucae, fructuum, cerevisiae cum armoracea vinique boni illos non sanant, certe nec sanabunt magis aer nosocomiorum occlusus et saepe impurior, nec in his major quies, nec totus medicamentorum apparatus.

Nec minus vere scabiosi, si in propriis habitaculis a militibus sanis amoveri

pos-

possunt, sat cito, corpus cum sapone nigro et aqua detergendo, imprimis ope unguenti sulphurati, restituentur; ut ne mitti eos in nosocomia semper necesse sit, quod aliunde non raro difficultatibus obnoxium est.

In universum haud convenit, levis damni aut morbi causa, tanta militum multitudine nosocomia onerare; quotidiana enim experientia docemur, milites ob res leviusculas in nosocomia missos, utut alioquin advenerint sani, et quiete, victu mutato, aere occluso impuro, et ex intuitu certe nec hilari nec recreante circumstantis undique miseriae humanae, male jamjam affici, et ut plurimum paucos post dies incidere in pessimas febres, a quibus extra nosocomium verosimiliter liberi mansissent.

Prouti ergo ex hac parte medicis castrensibus nunquam satis districte praecipi potest, ut omni cum molimine caveaut,

ant, ne vere aegrotantium in nosocomiis numerum leviter aegrotantibus adaugeant; et ubi in castris praesidiisque necessario in hunc scopum medicaminum apparatu instructi sunt; sic etiam ex altera parte demandatum sibi intelligant non minus, ut ne ullo modo in fictitiis militum morbis conniveant, sed pro viribus ut his sese opponant.

Hic illic ex veteri consuetudine in quibusdam legionibus usus obtinet, ut gregatim milites medicum accedant, petantque sibi aut emeticum, aut purgans, aut venae sectionem ceu prophylacticum. Ut praetereatur, quot medicamenta ex hoc abusu inutiliter deperdantur, etiam insuper damnosus ille militi sano est, quia quaelibet evacuatio, non indicata, debilitat, et sic dum alia simul adjuncta adversa coincidunt, morborum dominantium exortum inter milites re ipsa promovet. Uti medico non licet, vere aegrotanti aptum negare medicamentum, sic

nec

nec licet ipsi id agere, quo miles, quem novit sanum, in morbum illabi posset. Hoc militi perspicuum reddere conabitur, dum ei cum humanitate et prudentia denegabit pharmacum ad aegrotandum.

Specimina haec singularia, quae totidem duntaxat monita sint pro medicis castrensibus, eosdem doceant, quo possint pacto cum fervore, dignitate, intellectu et prudentia in reipublicae utilitatem fungi officio suo.

SECTIO PRIMA.

Quid generatim requiratur in pharmacopoea militari recte instituta.

Elenchus medicamentorum simplicium, praeparatorum et compositorum, quae medici ex pharmacopoeis caesareo-regiis castrensibus obtinere hucusque poterant.

Elenchus illorum pharmacorum, quae in nullo hucusque impresso catalogo continentur, sed solis in laboratoriis praecipuis depositoriſque ad praeparanda medicamina composita praesto esse debebant.

Elenchus medicamentorum, quae ex pharmacopoeis militaribus caesareis nunc exclusa sunt; et de hujus exclusionis rationibus.

Quid generatim requiratur in pharmacopoea militari recte instituta.

Ut res pharmaceutica militaris magni imperii sit ex legibus *simplicitatis*, *virium medicinalium*, et *oeconomiae* instituta, in stabilienda pharmacopoea militari a principiis sequentibus exeundum est:

1) Pharmacopoea militaris optima careat luxu Pharmacopoeae civicae splendidioris; sed habeat tamen pharmaca *necessaria omnia*, quae ad curandos morbos tam internos quam externos faciant, eaque semper laudatissimae qualitatis.

2) Quandoquidem sumtus in pharmaca faciendi maximi sunt, eorundemque transportatio tempore belli toties extremis difficultatibus implicatur, *omnis* exulet *superfluitas*.

3) Ex pharmacis, quae ferme eadem virtute pollent, *sola* retinenda sunt *aliqua*. In ditionibus austriacis praecipue seligentur illa,

a) quae istic tam numero sufficiente quam optima qualitate inveniuntur;

b) quae tum aequali sunt bonitate, minori pretio emuntur;

c) quae cum aliis dubiis haud facile commutantur;

d) quae occupant minimum locum, et possunt sine multo incommodo deportari;

e) quae omnium facillime, celerrime et tutissime praeparantur;

f) quae cum in aestu intensiori, tum frigore validiori, corruptioni quam minime obnoxia sunt.

g) quae aegrotantium palato minus displicent.

4) Pharmaca simplicia compositis anteferantur.

5) Ubi medicamenta sicca idem praestant atque illa, quae liquido in statu transportantur, his sicca praeponi oportet.

6) Formula praeparandi medicamenti compositi sit clara et definita. Ipsum certo sub sensu adhuc simplex et parvi pretii sit, nec tamen vel pretiosissime composito in quantum ad genuinam virtutem inferius.

7) Medicis praescribentibus castrensibus pretium uniuscujusque pharmaci indicari secundum pondera stabilita oportet.

8) Omnium medicamentorum, prae caeteris autem illorum, quibus in porrigendis prudentia singularis requiritur, dosis determinata adsignanda est, qua aegris, saltem nondum assuetis, dari liceat.

Quousque pharmacopoeae austriacae militares illae, quae in hunc diem extiterunt, hisce conditionibus pharmacopoeae bene instituendae fecerint aut non fecerint satis, rerum periti pronunciabunt, quando prioris institutionis speciem sibi videbunt oblatam. Propterea non tantum catalogus medicamentorum, ad quem medici castren-

ses

ses ex pharmacopoeis militaribus hucusque pharmaca sua arcessebant, et qui jam statutis chirurgicis insertus fuit, hic denuo impressus sistitur; sed mox huic etiam subjungetur alter index pharmacorum illorum, quae praeter omnia in priore catalogo contenta, adhuc in laboratoriis et depositoriis prompta esse debebant, ut varia tot inde composita pararentur.

Elenchus

medicamentorum, quae medici omnes castrenses ex pharmacopoeis militaribus caesareis (hucusque) obtinere poterant.

Acetum antisepticum.
— — destillatum.
— — lithargyri.
— — vini simplex.
Aethiops martialis.
— — mineralis.
Agaricus albus.
Aloe succotrina in pulvere.
Alumen crudum in pulvere.
— draconisatum in pulvere.
— ustum in pulvere.
Amygdalae dulces.
Antimonium alcoholisatum.
— — diaphoreticum non ablutum.

Aqua

Aqua cinnamomi simplex.
— — vinosa.
— menthae.
— phagedaenica.
— rosarum.
— theriacalis simplex.
— vulneraria papalis.
— — vinosa.
Arcanum duplicatum.
Axungia porci.
Baccae juniperi.
Balsamum Arcaei.
— — commendatoris.
— — peruvianum.
Bolus alba in pulvere.
— armena in pulvere.
Borax veneta.
Butyrum antimonii.
Camphora.
Cantharides in pulvere.
Cera alba virginea.
— citrina.
Cerussa veneta.
Conserva absinthii.
— — fumariae.
— — rosarum rubrarum.
Cortices aurantiorum.
Cortex peruvianus.
— — — in pulvere.

Cortex simarubae in pulvere.
— — winteranus in pulvere.
Cremor tartari in pulvere.
Electuarium diascordion.
Elixirium proprietatis dulce.
— — stomachicum temperatum.
— — vitrioli.
Emplastrum album coctum.
— — anglicanum.
— — de cicuta.
— — defensivum rubrum.
— — diabotanon.
— — diachylon cum gummi.
— — — simplex.
— — labdani.
— — meliloti.
— — oxycroceum.
— — de ranis cum mercurio.
— — ad rupturas.
— — de sapone.
— — vesicatorium.
Essentia absinthii composita.
— — castorei.
— — catechu.
— — cinnamomi.
— — croci.
— — ligni quajaci.
— — mastiches composita.
— — myrrhae.

Essentia succini.
Extractum absinthii,
— — aconiti.
— — cichorei.
— — cicutae.
— — fumariae.
— — corticis peruviani aquosum.
— — pulsatillae nigricantis.
— — rhei.
— — valerianae.
Farina fabarum.
— lini.
— sinapis.
Flores arnicae.
— centaurii.
— chamomillae vulgaris.
— flammulae jovis.
— lavandulae.
— papaveris rhoeados.
— rosarum rubrarum.
— salis ammoniaci martiales.
— sambuci.
— sulphuris simplices.
— zinci.
Folia sennae sine stipitibus.
Fructus prunorum.
— tamarindorum.
Fungus quercinus praeparatus.
Globuli martiales.

Gum-

Gummi ammoniacum in pulvere.
— arabicum in pulvere.
— assa foetida.
— euphorbii in pulvere.
— mastiche.
— — in pulvere.
— myrrha.
— — in pulvere.
— olibanum.
— — in pulvere.
Herba absinthii.
— althaeae.
— arnicae.
— cicutae.
— — in pulvere.
— flammulae jovis in pulvere.
— fumariae.
— gratiolae.
— hyoscyami.
— hyssopi.
— majoranae.
— malvae.
— menthae.
— plantaginis.
— rutae.
— salicariae.
— salviae.
— scordii.
— tabaci.

Her-

Herba trifolii fibrini.
— veronicae.
Kermes minerale.
Lapis infernalis.
Laudanum liquidum Sydenhami.
Lichen islandicus.
Lignum sanctum.
— sassafras.
Limatura martis.
— — — alcoholisata.
Liquor anodynus mineralis.
— visceralis.
Magnesia nitri.
Manna calabrina.
Mel purum.
— rosarum.
Mercurius dulcis.
— — praecipitatus ruber.
— — vivus.
Moschus.
Myrobolani citrinae in pulvere.
Nitrum depuratum.
Nuces moschatae.
Oculi cancrorum in pulvere.
Oleum destillatum anisi.
— — caryophyllorum.
— — cerae.
— — macis.
— — terebinthina.

Oleum expressum seminum lini.
— — nucistarum.
— — olivarum.
— — seminum papaveris.
Opium purum.
Oxymel colchicum.
— scilliticum.
— simplex.
Pilulae de cynoglosso.
— extracti catholici.
— mercuriales.
— Rufi.
— de styrace.
Pulpa cassiae recens.
— prunorum.
Pulvis antispasmodicus Stahlii.
— digestivus.
— Haly.
— contra inflammationem pro usu externo.
— strumalis.
— temperans.
Radix althaeae.
— — in pulvere.
— angelicae.
— bardanae.
Radices quinque aperientes.
Radix calami aromatici.
— cichorei.

Ra-

Radix contrajervae.
— — in pulvere.
— enulae.
— filicis maris.
— gentianae in pulvere.
— graminis.
— jalapae in pulvere.
— ipecacuanhae in pulvere.
— lapathi acuti.
— liquiritiae.
— — in pulvere.
— polygalae.
— — in pulvere.
— polypodii.
— pyrethri.
— rhabarbari.
— — in pulvere.
— sarsaparillae.
— salep in pulvere.
— valerianae.
— — in pulvere.
Resina jalapae.
Roob ebuli.
— juniperi.
— sambuci.
— de spina cervina.
Saccharum mel. f.
Sal amarus sedlitzensis.
— ammoniacus.

Sal

Sal ammoniacus depuratus.
— mirabilis Glauberi.
— polychrestus in pulvere
— Seignette.
— tartari.
Sapo venetus.
Scammoneum crudum in pulvere.
Scilla recens in toto.
— praeparata in pulvere.
Sebum cervinum.
Semen anisi vulgaris.
— carvi.
— cucumeris.
— cydoniorum.
— foeniculi vulgaris.
— melonis.
— papaveris albi.
— sabadillae in pulvere.
— santonici in pulvere.
Species althaeae vulgares.
— antifebriles amarae.
— pro potu ordinario.
— aperitivae sine rheo.
— emollientes pro cataplasmate.
— — pro fomento.
— lignorum.
— pectorales.
Spiritus aromaticus.
— cochleariae.

Spi-

Spiritus cornu cervi.
— Mindereri.
— nitri dulcis.
— salis acidus.
— — ammoniaci.
— vini camphoratus.
— — rectificatus.
— vitrioli acidus.
Succus liquiritiae inspissatus.
Syrupus acetositatis citri.
— capillorum veneris.
— papaveris albi.
Tartarus emeticus.
Terebinthina veneta.
Terra catechu in pulvere.
Theriaca Andromachi.
— diatessaron.
Tinctura aloës.
— millepedum.
Tutia praeparata.
Unguentum aegyptiacum.
— album camphoratum.
— — simplex.
— althaeae.
— apostolorum.
— de arthanita.
— basilicum.
— digestivum simplex.
— lithargyri.

Un-

Unguentum mercuriale.
— nervinum.
— ad scrophulas.
— ad scabiem.
— Jasseri.
— de styrace.
— de tutia.
Viscum quercinum in pulvere.
Vitriolum album.
— de cypro.
— martis artefactum.
Uva ursi in pulvere.

Quamvis sic medicamentorum simplicium, praeparatorum compositorumque numerus esset 286, videbantur tamen praeterea in laboratoriis 114 medicamenta simplicia, et vel ipsa composita 23, requiri, ut composita in supra memorato elencho exhibita, non modo ad pharmacopoeae provincialis austriacae editionis primae, sed etiam ad dispensatorii multo antiquioris normam, *quae utraque paucissimis medicis castrensibus erant nota*, confici possent. Tum etiam alter ille elenchus, comprehendens pharmaca ad compositiones priores istas necessaria, in hunc finem hic prodit denuo in lucem, ut palam sit, post justam exclusionem arabico-mysticarum illarum compositionum, nunc

etiam

etiam insuper 137 alia pharmaca excidere, quae in honorem medicinae castrensis austriacae exulare jam diu debuissent.

Elenchus

medicamentorum simplicium, praeparatorum et compositorum, in laboratoriis et depositoriis antea asservandorum, quae ad conficienda composita, in superiore elencho contenta adhibebantur.

Allium.
Amylum.
Aqua corticum citri.
— juniperi.
Baccae ebuli.
— spinae cervinae.
Bdellium.
Benzoë.
Caricae.
Caryophylli.
Castoreum.
Cinnabaris factitia.
Colocynthis.
Colophonia.
Cornu cervi.
Cortex capparis.
— cinnamomi.
— citri recens.

Cor-

Cortex citri siccus.
— tamarisci.
Crocus.
Elemi.
Extractum chamaedryos.
— cardui benedicti.
— chelidonii majoris.
— elaterii.
— gentianae.
— radicis enulae.
— trifolii fibrini.
Essentia corticum aurantiorum.
Fel tauri.
Fistulae cassiae.
Flavedo corticum aurantiorum.
Flores hyperici.
— macis.
— malvae.
Galbanum.
Grana paradisi.
Herba absinthii pontici.
— anethi.
— artemisiae.
— calaminthae montanae.
— chamaedryos.
— capillorum veneris.
— cardui benedicti.
— cochleariae.
— consolidae sarracenicae.

Herba cuscutae.
— dictamni cretici.
— foeniculi.
— hederae terrestris.
— mari veri.
— marrubii albi.
— meliloti.
— menthae sarracenicae.
— origani.
— roris marini.
— scolopendrii.
— serpylli.
Ichthyocolla.
Labdanum.
Lapis haematites.
Lignum santalinum.
Millepedes.
Minium.
Oleum benzoës.
— chamomillae infusum.
— colocynthidis infusum.
— cumini destillatnm.
— hyperici.
— laterum.
— tartari per deliquium.
Olibanum.
Opopanax.
Opobalsamum.
Passulae minores.

Pi-

Piper longum.
— nigrum.
Pix nigra.
Pulsatilla nigricans.
Radix acetosae.
— apii.
— aristolochiae rotundae.
— asari.
— asparagi.
— barbae caprinae.
— caryophyllatae.
— chinae nodosae.
— colchici.
— consolidae majoris.
— cucumeris asinini.
— curcumae.
— cyclaminis.
— cynoglossi.
— dictamni albi.
— dictamni cretici.
— foeniculi.
— galangae.
— hellebori.
— imperatoriae.
— iridis florentinae.
— phu pontici.
— rusci.
— scorzonerae.
— spicae celticae.

Radix zedoariae.
— zingiberis.
Sagapenum.
Sanguis draconis.
Sebum arietinum.
— hircinum.
Semen ammios.
— amomi.
— apii.
— cardamomi minoris.
— cumini.
— dauci cretici.
— foenu graeci.
— hyoscyami.
— napi.
— petroselini.
— thlaspios.
Spiritus sacchari, vel Rum.
Styrax calamita.
— liquida.
Succinum.
Succus acaciae verae.
— cicutae.
— citri.
— hypocistidis.
Syrupus violarum.
Tacamahaca.
Tartarus vitriolatus.

Tra-

Tragacantha.
Viride aeris.

Praemissis regulis, secundum quas pharmacopoeam militarem, scopo accommodatam, institui oporteat, contraque exposita hodiernae rei medicamentariae militaris austriacae imagine, sequetur nunc index medicamentorum simplicium, praeparatorum compositorumque, quae exhinc in catalogo pharmaceutico militari exclusa manebunt. Sed ante quaedam praemonenda veniunt.

Ad sic dicta pharmaca, quae solum palato placent, nec ex se virtute medica intensa pollent, atque adeo potius delicatulis matronis quam induratis militibus competunt, nullus respectus habitus est; at minime tamen pharmacopoea militaris talibus remediis spoliata fuit, quae cuicunque aegro assumptionem medicaminum abunde facilem reddant.

Videbitur fortasse medicis eruditis non paucis, in priorem medicaminum apparatum haud satis severe fuisse animadversum, multaque existimabunt esse servata ejusdem plane virtutis, quae, absque medicinae agentis detrimento, excludi omnino debuissent.

sent. At vero purgatio erit facilis, si mox allegandae facti causae audiantur.

1) Si ex pluribus pharmacis simplicibus, eadem virtute praeditis, *solum unicum* admittitur, jure merito metuendum est, ne maxima hujus unius pharmaci acquisiti copia, quam tantam in magnorum exercituum nosocomiis usus amplissimus omnino exigit, brevi causam adducat, cur ex regione aliqua etiam vastiore illud pene totum exterminetur, augeaturque indies a venditore ejusdem pretium. Accedit sollicitudo et medici castrensis et pharmacopoei quando istiusmodi pharmacum ob nimium usum in defectum veniat; nec possit nunc per aliud simile restitui ullum.

2) Utut perspecta omnibus et agnita veritas est, simplicissimam medendi methodum semper simul esse optimam, nihilominus una semper cogitandum erat de magno hoc experientiae dogmate: scilicet a medicorum turba saltem non prius, quam magis apposita tam theoretica quam practica doctrina praecesserit, frustra esse exspectandum inartificialem illum simplicem medendi modum, qui alioquin sub melioribus auspiciis omnino exigi potuisset.

3) Valde equidem ambigua sedato et sagaci veritatis exploratori est *experientiae* notio, quando prodit vox illa ex ore multitudinis observatorum. Atvero quamdiu in scientia medica non habebitur indubitata norma ad quam certa cujuscunque remedii aut actio aut inertia, ceu demonstrata ex ejusdem partibus constitutivis, cum aliis remediis comparari queat, eo usque summa experientiarum, quae utilitatem remedii jam diu in usum tracti commendant, in computationem venire et quodammodo reverenter haberi meretur.

4) Etsi primo intuitu credi posset, ex ducentis octoginta sex medicamentis, quae in impresso elencho pharmaceutico militari numerabantur, exclusa centum quinquaginta quatuor, adeoque non multo plura, quam dimidiam partem fuisse, satis erit inspexisse elenchum alterum illum supra exhibitum, quo mox patescet, una cum his centum quinquaginta et quatuor dimissis adhuc centum et triginta septem alia, adeoque omnino ducenta nonaginta et unum, tanquam inutilia aut superflua, fuisse rejecta, *ut ne tamen utile ac necessarium pharmacum ullum merito sit loco deturbatum.*

Elen-

Elenchus

medicamentorum simplicium, praeparatorum et compositorum, ex pharmacopoeis militaribus caesareis exclusorum, et de causis exclusionis.

I. Acetum antisepticum.

Quamvis esset evictum, hujus medicamenti nomen non sola niti hypothesi de putrescentia humorum in hominum viventium vasis, nemo tamen unquam intelliget, quamobrem pharmaca quatuordecim, et inter haec duae absinthii species, ad talem mistionem requirerentur. Qui pharmacum stimulans (calefaciens) cum aceto refrigerante conjungere satagit, nae ille camphoram, quae aliunde volatilis est, et nihilominus in hac mistione caput rei est, cum aceto extemplo miscere poterit. Pharmacopoea provincialis austriaca nova hanc formulam verosimiliter servavit, quia ad hanc praeparatur *Vinaigre des quatre voleurs*, quod in officinis expetitur a vulgo magis, quam praescribitur a medicis.

II. Acetum vini destillatum.

Carius est, et plerumque debilius aceto vulgari bono.

III, Aethiops martialis.

Valde carus nec necessarius, ubi aeque determinate agentia in limatura martis, vitriolo ferri artificiali et extracto martis pomato possidemus.

IV. Aethiops mineralis.

Superfluus, dum adest mercurius dulcis et gummosus, qui certius operantur.

V. Agaricus albus.

Dubius et effectu vehemens. Plane obsoletus, ubi regnum pilularum, quas ingredi agaricus albus solebat, cessavit. Nunc purgantia multo tutiora in usu sunt.

VI. Alumen draconisatum.

Sanguis draconis nil stiptici habet, et praeterea in humoribus animalibus solvi renuit. Qui igitur aluminis per se satis actuo-

si

si et vilis, non quidem vim adstringentem, sed pretium maxime auget.

VII. Antimonium diaphoreticum non ablutum.

Effectus dubii, et omnino superfluum.

VIII. Aqua cinnamomi simplex.

Non necessaria. Aqua haec cinnamomi simplex paucas possidet ex pharmaco carissimo extractas vires, quas brevi iterum sponte deperdit.

IX. Aqua cinnamomi vinosa,

Superflua, licet priore actuosior sit, et nimis cara. Abunde compensatur tinctura nostra cinnamomi, aqua diluta, nec multum hinc praecipitanda; vel etiam dum clavelli sic dicti cinnamomi aliquamdiu in vino calido infunduntur, et filtrata infusio aegris vere debilibus porrigitur.

X. Aquae destillatae.

Cur diutius aquae plantarum destillatae transportarentur ad exercitus, atque una

cum

cum his circumferrentur? Sunt enim illae rarissime in mixturis primariae, et generatim paucarum, quas habent, virium jacturam brevi patiuntur. Accedit, quod in curribus pharmaceuticis militaribus, cistisque medicinalibus legionum et agminum, magnum spatium occupent, in transportationibus molestiam facessant, et ob innumeras, belli tempore, vasorum diffrigendorum causas saepe dispereant in integrum. Multo actuosius est plantae infusum. Si aliquot guttis olei aetherei plantae, cum saccharo in elaeosaccharum tritis, additur aqua, continuo ejusdem planta destillatae aqua habebitur. Mentha crispa vilior quidem mentha piperita est, sed viribus multo inferior; propterea piperitae oleum aethereum susceptum fuit.

XI. Aqua phagedaenica.

Haec secundum antiquam formulam plane iners est; quia sic mercurius dulcis ceu pulvis niger praecipitatur; nec pro indicatione agit ille, qui intactus forte paucissimus remanet. Multo actuosior est, qui in ejus locum substituitur, liquor mercurialis.

XII. Aqua rosarum.

Sine viribus est, si adstringentem credis; verbo merus in pharmacopoea militari luxus. Optime compensatur aqua pluviali vel puteali.

XIII. Aqua theriacalis simplex.

Ita eviluit, ut ipsa, ex qua destillatur, theriaca. Vis opii non transit in destillatione.

XIV. Aqua vulneraria papalis.

Est aqua caro paranda, ingrate empyreumatica, paucarumque virium; quae mistione sua varia et inexplicabili ut absurdum chemicopharmaceuticum deliramentum innotuit. Longe a simpliciore aqua vulneraria Thedenii superatur.

XV. Aqua vulneraria vinosa.

Omnino supervacanea. Temporibus tenebricosis absque omni censura medica in haemorrhagiis internis dari solebat; et inde vel adhucdum in compositione sua prae se fert illorum temporum exemplar.

XVI. Balsamum arcaei.

Etiam superfluum; quia hoc balsamum propter additum elemi ex nulla est ratione balsamo digestivo anteponendum.

XVII. Balsamum commendatoris.

Tam non necessarium, quam mirifice compositum simulque valde carum; chirurgi docti et intelligentes jam diu illud relegarunt.

XVIII. Balsamum peruvianum.

Ut plurimum ab ipsis mercatoribus lucripetis adulteratum, ut vel fallatur peritus; et insuper tam superfluum quam carum. Quicunque remedium athereo - resinosum externe applicandum esse autumat, multo viliorem terebinthinam cum terebinthinae oleo ad requisitam liquiditatem conjungendam curet. Quis hodie internum ejus usum laudare velit.

XIX. Bolus alba.

Est terra non solubilis, plane inutilis, uti omnes antiquorum terrae sigillatae.

XX. Bolus armena.

Haud secus ac praecedens interne et externe exulet, ab eadem solo colore diversa.

XXI. Butyrum antimonii.

Ad tartarum emeticum conficiendnm ultra haud opus est pulvere Algarotti. Chirurgus operatur cultro, lapide infernali eodemque caustico, quorum ope certius agit. Adeoque omnino non necessarium.

XXII. Cera alba.

Haec dum cera flava adest, in pharmacopoea militari pertinet ad luxum chirurgicum.

XXIII. Cerussa veneta.

Semper cum terris est mista. Omnes plumbi calces virtute aequali gaudent. Forte minium minus est adulterationi obnoxium. Sed lithargyrum in provinciis austriacis aeque purum est, et simul vile.

XXIV. Conserva absinthii.

Omnes conservae proprie sunt profusio in damnum aerarii sine utilitate aegri; quia pluris constant quam viribus pollent, et erat in nosocomiis militaribus praeter modum ingens earundem usus. Saccharum plantis admistum auget quidem earum pretium, neutiquam vero intendere potest virtutem. Sole moderato calefactae et in transportatione concussae fermentantur, paucasque vires suas in integrum deperdunt. Praeterea ut agere quodammodo possent, non ad unam alteramve drachmam, uti fieri consuetum est, sed ad plures quotidie uncias porrigendae forent. Quantae summae inde exsurgerent! Quod ad conservam absinthii singulariter spectat, tanto minus necessaria est, quod haec herba ipsa in conservatione non corrumpitur, et habetur aliunde ejus extractum.

XXV. Conserva fumariae.

Idem hic dictum puta, quod de conserva absinthii dictum fuit. Tum quoque si principium hujus plantae amarum sit, quod ageret, saccharum additum contra indicatur. Ceu remedium adversus scorbutum perpaucarum virium est. Si quis tamen his succis plan-

plantarum confidit, aestate plantas sic dictas antiscorbuticas colligendas facile curabit; dum hieme praesto sint nasturtium aquaticum, armoracea, brassica salita, fructus siccati et potus ex malto.

XXVI. Conserva rosarum.

Medicamentum pro matronis, nec pro militibus. Detur etiam, esse in rosis levem vim tonicam, certe illa saccharo tota delebitur.

XXVII. Cortices aurantiorum.

Recentes actuositate aliqua non carent; facile autem corrumpuntur, nigrescunt, et mucedinem contrahunt. Ob id ipsum exsiccandi multum sunt, et sic aromate suo privantur. Elaeosaccharo menthae piperitae plus quam abunde pensantur.

XXVIII. Cortex winteranus.

Superfluus est. Radix calami aromatici nostratis illo viribus superior est. Quin etiam nunc habeamus cinnamomi et clavellos et tincturam.

XXIX. Electuarium diascordium.

Mistio rejicienda et tota secum pugnans, quam ultra non praescribit medicus, cum prudenti opium, cortex peruvianus et calamus aromaticus praesto adsunt.

XXX. Elixirium proprietatis dulce.

Medicamentorum phantasticae explicationes et compositiones paracelsianae a longo jam tempore et fiduciam omnem et fidem perdiderunt. Quorsum igitur elixirium illud dulce paracelsicum, quale in catalogo traditur? Crocus, qui ad formulam prioris pharmacopoeae adesse debebat, non videtur in hac mistione tantum valere, quanti constat.

XXXI. Emplastrum album coctum.

Jam abhinc annis quinquaginta theoria de modo, quo generatim emplastra agunt, dilucidata satis est, quam tamen chirurgi integrarum provinciarum neglectam habuerunt. Nullus hodie vir intelligens ab emplastro plus exspectare deberet, quam emplastrum praestare possit. Emplastra vero agunt: dum solutas partes molles in superficie conjungunt, dum eas ab atmosphaerae liberae

attactu defendunt, molles servant, aut emolliunt; dum aut nervos cutaneos irritatos sedant, aut eosdem irritant, ut potentius in partibus debilitatis, inque glandulas et vasa obstructa reagant. Omni huic scopo tria quatuorve emplastra faciunt satis, quibus pro libitu camphora, opium, similiaque admisceri possunt. De medicamentis siccis, cujusmodi emplastra sunt, parum vel nihil absorberi solet. Sed absorberi detur; tum per vasa lymphatica nihil actuosi immediate defertur ad partem affectam profundius subjectam, quandoquidem vasa absorbentia, uti notum est, non perpendiculariter ad partem affectam deorsum tendunt, sed ad partes remotiores oblique decurrunt. Ratione emplastri in titulo memorati haud aliud dicendum occurrit quam quod de omnibus emplastris plumbosis, quorum unicum sufficit, nec enim calces plumbi, quae diversae pro diversis emplastris adhibentur, ullam ulli praerogativam tribuunt. Emplastrum diachylon simplex continet lithargyrum, et sic omnibus emplastris plumbosis reliquis tuto carere possumus.

XXXII. Emplastrum anglicanum.

Hoc pertinet ad mundi muliebris the-

cas, nec ad militem in campo, ubi linteis, emplastro diachylo gummoso bene illitis, vulnera caesa sectaque manu periti medici tutius conglutinantur.

XXXIII. Emplastrum de cicuta.

Cicuta in universum exspectationi susceptae non respondit. Ab emplastro minus sperandum est. Si alia medicamenta interna vel culter in tumoribus glandulosis induratis opem non adferunt, certe emplastra ob incongruentem irritationem non raro malum pejus reddunt.

XXXIV. Emplastrum defensivum rubrum.

Est emplastrum plumbosum, nec aliud; cui terra bolaris certe nullum prae aliis pretium addit.

XXXV. Emplastrum diabotanon.

Nec extractum cicutae et chelidonii, nec styrax liquida, virtutem genuinam emplastri diachyli simplicis attollunt. Camphora in vulnerata cute irritationem sane augere poterit, quae tunc emplastro lithargyri iterum foret mitiganda.

XXXVI. Emplastrum de labdano.

Certe emplastrorum ope ventriculus infirmus raro curatur. Qui alio uti remedio nescit, misceat ille camphoram et aromata cum quacunque apta materie copulante in emplastri formam.

XXXVII. Emplastrum de meliloto.

Meliloti et seminum foenugraeci pulvis et caeterarum, quae insuper ingrediuntur trium herbarum pulveres, in hoc emplastro nullum adeo miraculum praestabunt. Nec sebum cervinum ovino antecellit.

XXXVIII. Emplastrum oxycroceum.

Dimidio plura condimenta deturpant hoc emplastrum, cui praeterea nec carior crocus magnam utilitatem conciliat. Emplastrum diachylon gummosum jacturam ejus compensat plenissime.

XXXIX. Emplastrum de ranis cum mercurio.

Cum emplastra mercurialia ut plurimum in scopum discutientem applicentur, quorsum

sum igitur exsiccans plumbum hic admistum emplastro diachylo simplici? Quid a mercurii absorptione exspectandum sit, supra jam de emplastris in genere dictum est. Si quis itaque emplastri mercurialis actionem in partem affectam derivare cupit, non huic ipsi sed remotiori cuidam parti applicandum esset, eadem prorsus ratione qua unguento mercuriali non pars affecta ipsa, sed inungitur remotior illa, ubi vasa absorbentia ad partem infirmam proserpere incipiunt. Et semper sic unguenti inunctio locum emplastri et melius et intelligentius occupabit. Accedit, quod mercurius, ubi ab illo quid sperandum est, interne etiam dari in determinata dosi possit. Quin vidimus etiam, plurimos tumores glandulosos suspectos, imprudenti emplastri mercurialis usu, ejusdemque irritatione locali, factos deteriores fuisse. Cuicunque tamen praecise emplastro mercuriali uti placebit, poterit mercurium primo obvio emplastro incorporandum curare.

XL. Emplastrum ad rupturas.

Nostris temporibus hernias in adultis emplastrorum auxilio curare velle! Quis hoc speret a pulvere radicis barbae caprinae et consolidae majoris, ab haematite et sangui-

ne

ne draconis, quae omnia hoc emplastrum ingrediuntur!

XLI. Emplastrum de sapone.

Quo pacto emplastrum diachylon simplex, conjunctum cum sapone et camphora, fieret remedium resolvens et discutiens, nemo capiet; nec magis intelligere est, qui materies sicca, cuti imposita, attenuationem et dissolutionem humorum animalis inspissatorum et stagnantium immediate producere posset; haud aliter ac si remedium esse spissius ac siccius oporteret quam ipsum ab eo solvendum coagulum. Calor humidus, et aqua tepida, corporibus salinis et saponaceis leviter irritantibus actuosior reddita, sub forma vaporis, linimenti aut balnei stillantis applicata, certe meliora praestant. Caeterum gummi ammoniacum, ope aceti scillitici in emplastri formam redactum, et vel ipse sapo tusus, majore virtute pollent quam saponis illud emplastrum.

XLII. Essentia absinthii composita.

Omnibus essentiis, quae tincturae aptius dicerentur, forte posset carere apparatus qualiscunque pharmaceuticus sine aegroto-

rum

rum detrimento. Militi tamen, spiritui vini assueto, remedìum amarum et spirituosum nonnunquam usui venire potest. Idcirco tinctura amara simplex introducta fuit, quae nihilominus pensaretur facile solutione extracti amari in vino bono cum additamento paucae cinnamomi tincturae.

XLIII. Essentia castorei.

Castoreum omnino est remedium carum pro faeminis hystericis urbanis, saepe vetustum et malae notae. Facile carent illo milites, et hinc etiam plane carere possumus essentia ista castorei. Contra spasmos, quos milites pati poterunt, medicus opium, moschum, valerianam et assam foetidam habet.

XLIV. Essentia catechu.

Superflua est. Alumen in aqua aut vino solutum, vel cortex quercus in vino coctus, gingivas flaccidas melius firmat quam haec jam diu exoleta tinctura.

XLV. Essentia croci.

Crocum in morbis parum agere, observationes clinicae indubitatae jam docuerunt.

Ut

Ut etiam indigena est, manet tamen semper carum et una levis momenti remedium, aliis cum lucro pensandum.

XLVI. Essentia ligni quajaci.

Carior est quam resina quajaci, nec tamen ut sic virtus pretio increscat. Remedium simul calefaciens, ex quo resina ab affusa aqua excutitur. Consultius ipsa quajaci resina, mucilagine gummi arabici aut vitello ovi cum aqua mista, et melle vel extracto liquiritiae edulcata, aegris, quibus conducit, porrigitur.

XLVII. Essentia mastiches composita.

Sine utilitate vera, et ab optimis chirurgis clinicis jam diu neglecta.

XLVIII. Essentia myrrhae.

Ex quo novimus, ossium cariem curari, non condiendo partes jam destructas, sed vel separando partes emortuas a reliquo osse sano, quod opus fere sub simplicissima tractatione natura absolvit ipsa, vel medici alio actuosiore quodam auxilio, ab eo etiam tempore essentia myrrhae plane supervaca-

nea

nea evasit. Est praeterea adhucdum in promtu myrrhae pulvis.

XLIX. Essentia succini.

Ut succinum in chemia necdum est plene illustratum, sic multo magis problematica est illius actio in medicina practica. Hoc tamen exploratum est, omnem pharmacopoeam castrensem essentia succini carere posse.

L. Extractum absinthii.

Extractorum amarorum usus in medicina amplissimus est, suntque illa, omnium extractorum adinstar, ad transportationem aptissima. Naturalissimum forte remedium amarum foret fel animalis sani. At vero fel, in extractum inspissatum, brevi in pharmacopoeis putrescit, et in evaporando jam odorem spargit nauseosissimum. Cum igitur remedium hoc saepissime recens esset parandum, abjiciendumque illud, quod in apparatu restitisset; hinc ad hoc remedium in omnibus et singulis pharmacopoeis castrensibus et nosocomiorum majore foret cura opus, quam quae belli tempore habere locum posset. Sic non ignorata sua utilitate,

de-

debuit tamen hoc remedium ob memoratas rationes ex pharmacopoeis castrensibus excludi. Accedit, quod medicus castrensis paucis illis in casibus, ubi fel inspissatum caeteris remediis amaris praeferendum esse existimaret, coram se praeparandum jubere possit. — Quod ad diversitatem extractorum pure amarorum attinet, haec tantilla est; major enim minorve amarities totum fere discrimen absolvit, quoniam de partibus volatilibus in extractis hisce propter ignis actionem parum superest. Ob hoc ipsum in pharmacopoeis castrensibus solum unum medicamentum amarum admissum est, quod vel ex absinthio, aut trifolio fibrino, aut radice gentianae, vel tandem ad finem anni ex superantibus adhuc hujus generis plantis promiscue confici poterit. Sunt aliunde herbae amarae siccae ad extracta aeque idoneae, saepe aptiores, quam recentes, quamobrem in tali procedendi modo, quo haud modico sumtui quotannis parcitur, nihil est, quod merito culpetur.

LI. Extractum cichorei.

Per recens introductum taraxaci extractum abunde compensatur.

LII. Extractum cicutae.

De hoc remedio ad emplastrum de cicuta (num. XXXIII.) jam actum fuit.

LIII. Extractum fumariae.

Alio quovis extracto amaro facile et melius compensatur.

LIV. Extractum pulsatillae nigricantis.

In universum non praestat, quod praestare posse credebatur; atque illi casus, ubi vere conducit, in castris raro occurrunt.

LV. Extractum rhei.

Carissimi pretii, et simul tam paucarum virium, ut omnino exulare mereatur. Principium illud rhei nauseosum, et actuosum coctione aliunde deperditur. Infusum rhei aquosum, vel rheum pulveratum ad pluscula grana cum extracto amaro conjunctum, inutilis illius et carae mercis exclusionem ultra modum reparant.

LVI. Extractum valerianae.

De hoc idem, quod de extracto rhei, dictum puta.

LVII. Farina fabarum.

Quare fabarum, si farina adest secalis?

LVIII. Flores (summitates) centauri minoris.

Cari, et viliori trifolio fibrino aptius pensandi.

LIX. Flores flammulae jovis.

Cari, drastici, et in agendo dubii.

LX. Flores lavandulae.

Pretiosi, quacunque planta aromatica viliore compensandi.

LXI. Flores papaveris rhoeados.

Hi quidem species pectorales in pharmacopoeis urbicis exornent, quo usque placuerit; ad pharmacopoeas militares non pertinent, quia nulla proprietate anodyna pollent.

LXII. Flores rosarum rubrarum.

Ratione virtutis adstringentis, quae illis attribuitur, parum laudandi, ad elegantiam pharmacopoearum urbicarnm faciunt aliquid.

LXIII. Flores zinci.

Horum vires ob multa irrita experimenta a practicis in dubium vocantur. Quae nuper de hoc praeparato nuntii publici litterarii praedicarunt, accuratiore egent indagine, cui nosocomia castrensia dare occasionem nequeunt.

LXIV. Folia sennae sine stipitibus.

Jam novimus diu, petiolos foliorum sennae rejectionem nunquam meruisse.

LXV. Fructus tamarindorum.

Pulpa prunorum nostrorum cum admistis tartari crystallis aeque efficax est. Accedit, quod tamarindorum pulpa non raro sit cupro nocivo inquinata.

LXVI. Globuli martiales.

Ad usum internum in pharmacopoea castrensi meliora ferri praeparata prostant; ad usum vero externum habentur cortex quercus et alumen, ut hi globuli plane supervacanei evadant.

LXVII. Mastiche.

Omnino praeter scopum ingrediebatur emplastra plura, quibus ipsis etiam carere nunc didicimus.

LXVIII. Olibanum.

Idem de hoc, quod de praecedente, dictum puta. Quia sunt resinae indigenae, quae ejus loco usurpari queunt.

LXIX. Herba arnicae.

Sufficiunt actuosae hujus plantae flores et radices.

LXX. Herba cicutae.

Vide supra Nros XXXII. et LII.

LXXI. Herba flammulae jovis.

Vide supra Nrum LIX.

LXXII. Herba fumariae.

Siccata omnem vim medicam perdit, et transportata in pulverem comminuitur.

LXXIII. Herba hyssopi.

Eodem se habet modo, uti herba exsiccata fumariae.

LXXIV. Herba majoranae.

Donec mentham et chamomillae flores habemus, bene majorana caremus; quae ceu sternutatorium remedium etiam superflua est.

LXXV. Herba plantaginis.

Inutilis diuque jam obsoleta.

LXXVI. Herba rutae.

Recens haud iners; siccam vero plantae aro-

aromaticae, quae retentae sunt, abunde compensant.

LXXVII. Herba salicariae.

Tam ars quam aeger illa destituuntur sine damno.

LXXVIII. Herba scordii.

Recens dum est, utilis; siccata autem iners, et transportatione in pulverem abitura.

LXXIX. Herba tabaci.

Ad pharmacopoeam nihil facit.

LXXX. Herba veronicae.

Cum nullam confirmatam vim medicam possideat, exulet.

LXXXI. Kermes minerale.

Quod modo receptum est antimonii sulphur auratum, propter minorem contenti antimonii partem mitius agit quam kermes.

LXXXII.

LXXXII. Lignum sanctum.

Morbo venereo per se nunquam medetur. Ad decocta sic dicta lignorum sufficiunt nobis nostratia lignum juniperinum, radices bardanae, stipites dulcamarae, aliaque. Solo in laboratorio primario asservatur pro extractione resinae quajaci, quae vulgo venalis adulterata esse suevit.

LXXXIII. Lignum sassafras.

Non minus superfluum ac praecedens.

LXXXIV. Magnesia nitri.

Non melior creta. Ejus locum nunc occupat magnesia salis amari, quae ob majorem solubilitatem salium mediorum inde emergentium praeferri meretur.

LXXXV. Mel rosarum.

Sic mel substituitur melli; rosae enim melli titulum quidem pretiosiorem, non vero majorem virtutem largiuntur.

LXXXVI. Mirobolani citrinae in pulvere.

Pharmacum extraneum et paucarum virium, a medico intelligente hodie non ultra adhibitum, et per meliora expulsum.

LXXXVII. Nux moschata.

Non haec facit ad pharmacopoeam militarem.

LXXXVIII. Oculi (*lapides*) cancrorum.

Saepe sunt adulterati, et prudentius illis magnesia muriae substituitur.

LXXXIX. Oleum destillatum caryophyllorum.

Valde cari pretii, et interne a medicis vix adhibitum. Externe contra odontalgiam certe in emolumentum dentium non cedit.

XC. Oleum destillatum cerae.

Usus chirurgicus hujus olei ultra protractus dissipatio foret inutilis.

XCI. Oleum destillatum macis.

Tam non necessarium quam est praeter modum carum.

XCII. Oleum expressum nucistae.

Uti praecedens.

XCIII. Oleum expressum seminum papaveris albi.

In multis provinciis agricolae ad cibos copioso utuntur, nec inde vim stupefacientem experiuntur vel minimam. Ut adeo aliis oleis non modo praeferri non mereatur, sed, quia cito rancescit, illorum pluribus postponi. Interea potest hoc oleum, illis in locis, ubi parvo pretio venit, adhiberi pro oleo lini, imo oleo olivarum. Sic in aliis provinciis oleum seminum napi ut plurimum purum sapidumque, loco olei olivarum carioris, saepe mediocriter boni, imo nonnunquam adulterati, in usum vocari potest.

XCIV. Oxymel colchicum.

Tantum rarissimis in casibus, ubi etiam alia obvia remedia saepe juvant, pro-

batum fuit. Propter oxymel squilliticum, quod habemus, plane carere illo possumus.

XCV. Pilulae de cynoglosso.

Mistio paradoxa. Cum opio solo medicus certo agit.

XCVI. Pilulae extracti catholici.

Colocynthis, fungus laricis, scammoneum, hellebori nigri radix et aloe drasticum hoc purgans constituunt. Possidemus certe purgantia minus suspecta magisque facientia ad scopum.

XCVII. Pilulae mercuriales.

In his extracto priori insuper addita videmus resinam jalapae et mercurium dulcem, ac si satis illud drasticum non fuisset. Pilulae quidem ad transportationem sunt aptissimae; at vero copia majore confectae, diu haerent, exsiccantur penitus, et aut nulla ultra pollent aut inaequali virtute, quia in statu hoc siccissimae et induratae, saepe indissolutae ab aegris iterum excernuntur. In pharmacopoea militari nova ambae hae

mas-

massae pilulares drasticae et ineptae per utiliores pensantur.

XCVIII. Pilulae rufi.

Myrrha, aloe et crocus, quae hasce pilulas, dictas contra pestem, componunt, in peste nunquam boni quid praestitere. In oblivione, cui jam diu veri medici illas tradiderunt, manere merentur.

XCIX. Pilulae de styrace.

Aeque in compositione sua paradoxae, uti illae de cynoglosso, et ob easdem rationes rejiciendae.

C. Pulpa cassiae.

Valde parum agit, et multo constat. Ulterior ejus usus, dum longe vilior meliorque prunorum nostratium pulpa adest, mera foret deperditio.

CI. Pulvis antispasmodicus Stahlii.

Ut remedium nervinum, diu jam ab omnibus medicis intelligentibus rejectus. Cinnabaris in humoribus animantium non solvi-

tur;

tur; nec sales sunt remedia nervina, et nitrum omnium minime.

CII. Pulvis digestivus.

Compensatur quolibet sale neutro in parva dosi.

CIII. Pulvis haly.

Composito obsoleta. Saccharum cum gummi arabico mistum, et extracti liquiritiae frustula idem praestant.

CIV. Pulvis contra inflammationem.

Quicunque notionem inflammationis habet, ad hunc pulverem ineptum non confugiat.

CV. Pulvis temperans.

Minime desiderabilis mistio ex lapidibus cancrorum et nitro. Qui acidum in primis viis domare satagit, habet magnesiam muriae; et ubi contra diathesin inflammatoriam, nitrum esset dandum, detur solum.

CVI. Radices quinque aperientes.

Aut unicum remedium solvens sufficiet, aut non melius agent quina.

CVII. Radix contrajervae.

Alexipharmaci quidem speciosum nomen est, at non tam speciosa actio hujus radicis, caeterum non plane ineptae. At vero ad nos saepe adfertur jam cariosa, vermibus exesa et effoeta, facileque carenda, dum indigenae nostrae radices angelicae et valerianae sunt in promtu.

CVIII. Radix filicis maris.

Nisi cum purgantibus drasticis conjuncta, parum agit. Est caeterum taenia inter milites nostros rarissima.

CIX. Radix lapathi acuti.

Aut sola, aut cum aliis radicibus cocta, admodum nauseosa est; et radicibus bardanae abunde pensatur.

CX. Radix polygalae.

Hujus vis medica certe haud magni momenti censetur.

CXI. Radix polypodii.

Jam a longo tempore vix in usum recipitur, et ad edulcandum radici liquiritiae postponenda est.

CXIII. Radix pyrethri.

Ceu sialagogum compensanda facile per radicem calami aromatici, enulae et angelicae; tum etiam per tabacum.

CXIII. Radix sarsaparillae.

Hanc saepe jam corruptam, et tamen cari pretii radicem commode desiderabimus, usuri in ejus locum indigenis radice bardanae, stipitibus dulcamarae, ligno juniperi et saponaria.

CXIV. Roob ebuli.

Praesente roob sambuci plane superfluum.

CXV. Roob de spina cervina.

In agendo vehemens, et aliis purgantibus melioribus, ubi indicantur, recompensandum.

CXVI. Sal polychrestus.

CXVII. Sal seignette.

Ambo cari, nec propterea vel minimum praestantiores sale mirabili, arcano duplicato, sale amaro et tartaro solubili. Hisce qui nihil effecerit, nec efficiet quidquam reliquis omnibus.

CXVIII. Sapo venetus.

Sapo exoticus, nec melior sapone nostro debrezinensi. Pro usu interno sapones non ex oleo rancido, sed de industria confici oportet.

CXIX. Scammoneum crudum.

Saepe adulteratum, purum cari pretii, et per resinam jalapae perfecte pensatum.

CXX. Sebum cervinum.

Restituitur per sebum bovinum vel ovillum.

CXXI. Semina carvi.

Superflua, dum adsunt semina anisi et foeniculi.

CXXII. Semina cucumerum.

Cara et praesentibus amygdalis dulcibus omnimode supervacanea.

CXXIII. Semina cydoniorum.

Facile mucorem contrahunt, et ob gummi arabicum non necessaria.

CXXIV. Semina melonum.

Dispendiosa, et ex adducta Num. CXXII. ratione superflua.

CXXV. Semina papaveris albi.

Nihil narcotici continent, et ad emulsa amygdalis posthabenda.

CXXVI. Species antifebriles amarae.

In hac formula pharmaca septem concurrere videntur, ut secum mutuo strenue pugnent. Liquiritia, amara centaurium minus et carduus benedictus, radix graminis, radices taraxaci et plantaginis, et ne ullum desit, radix acetosae, praescriptionem absolvunt.

CXXVII. Species pro potu ordinario.

Componuntur ex radicibus acetosae et scorzonerae, hordeo crudo, seminibus foeniculi et corticibus exsiccatis citri. In remedio, tam generaliter adhibendo, vera haec prodigentia est sine utilitate aegrorum. Si daretur, in nosocomiis potionem medicam quandam esse necessariam ad aegros reficiendos, quibus plerumque uberior potus conducit, tamen non illis porrigi potio debuisset, quae magis facta videatur, ut potum declinent. Certe aqua communis, vel eadem, si impurior, cocta et depurata, in plerisque casibus optimus est et naturalissimus potus. Quem tamen si quis medicinalem velit, decoctum hordei crudi praescribat.

CXXVII. Species aperitivae sine rheo.

Haud facile aliquis mistionem rerum inconcinnam magis secumque pugnantem reperiet quam hasce sic dictas species aperitivas. Numeramus hic quatuor herbas cichorei, cuscutae, fumariae et asplenii; dein aliarum rerum multitudinem, scilicet polypodium vulgare, liquiritiam, radices quinque aperientes, folia sennae, passulas minores, agaricum album, semina anisi et foeniculi, et ac si haec non sufficerent, cortices tamarisci et caparis. Decoctum radicis taraxaci tantundem aperit ac tota illa mistio. Et si quidem nunc esset et purgandum et aperiendum, quae sane methodus non semper optima est, posset decocto taraxaci sal neuter adjici, et potio haec melle edulcari.

CXXIX. Species lignorum.

Quae super his dicenda erant, jam dicta ad ligna quajaci et sassafras fuerunt.

CXXX. Spiritus aromaticus.

Iterum sistitur specimen luxus pretiosi et inutilis pharmacopoearum militarium. Pharmaca commiscentur hic novem , ubi un-

unicum vel ad summum duo aromata, per vini spiritum abstracta, idem praestitissent, si quidem unquam medico fuisset spiritu aromatico opus. Hodie istiusmodi potiones spirituosae aromaticae (*rossoglio*) ultra ferendae non sunt.

CXXXI. Spiritus cochleariae.

Ad corruptas fungosasque curandas scorbuticorum gingivas medicamenta, magis ad scopum facientia quam hic spiritus prostant, ex quo aliunde tantillum illud, quod ex cochlearia extrahitur, brevi avolat.

CXXXII. Spiritus nitri dulcis.

In praesentia liquoris mineralis Hoffmanni est in Pharmacopoea militari superfluus.

CXXXIII. Spiritus salis acidus.

Posthac non ultra transportandus, quod ad ulcera oris scorbutica acidum vitrioli tenue locum ejus occupabit. In laboratoriis tamen propter praeparationes quasdam pharmaceuticas asservandus.

CXXXIV.

CXXXIV. Syrupus acetositatis citri.

Syrupi medicati palatis delicatulis inserviunt. Mel, extractum liquiritiae et syrupus vulgaris sat grate edulcant. Citri succus, qualis ex putrescentibus bonisque promiscue fructibus exprimi solet, aut qualis ex Italia jam expressus in doliis ad nos transfertur, gratissimi sane acoris minime est. Acetum vini vulgare et bonum, cum syrupo ex saccharo et aqua parato sine omni decoctione mistum, exhibet optimum aceti syrupum, vel ipsi delicatiori palato placere aptum.

CXXXV. Syrupus capillorum veneris.

Inutiles istiusmodi atque omni virtute medica destitutas delicias, qualis hic capillorum veneris syrupus est, in pharmacopoeis militaribus praesto esse oportere, qui adhucdum expostulat, nae ille in aerarii detrimentum pecuniam dissipandam existimat.

CXXXVI. Syrupus papaveris albi.

Vis hujus syrupi narcotica necdum rite est determinata; qui facile pensatur justa opii dosi, cum saccharo vel sacchari syru-

po

po conjuncti, dari si illud infantibus aut palati sensibilioris hominibus oporteat.

CXXXVII. Terra catechu.

Saepe impura et adulterata est. Alumen in aqua solutum, decoctumque corticum quercus aut radicis tormentillae, extractum illud aquosum reddunt supervacaneum.

CXXXVIII. Theriaca andromachi.

Theriacam esse compositionem omnium maxime paradoxam, omnes medici intelligentes jam diu cognoverunt. Opium hic sub farragine immensa rerum, quarum vires aperte secum pugnant, veluti sepultum jacet. Nec in remedio tam heroico, quale opium, unum idemque est, sciatne medicus nec ne, quaenam sit praecisa opii quantitas in electuario praescripto. Qui opium aromatibus comitatum porrigere cupit, multo simplicius ex tempore praescribet. Ad hunc sensum in nova pharmacopoea militari prostat electuarium anodynum.

CXXXIX. Theriaca diatessaron.

Etiam hac inconcinna mistione ceu electuario stomachico optime carere possumus, restituenda abunde et gratius per tincturam amaram nostram.

CXL. Tinctura aloës.

Hodiernis chirurgis non necessaria; pro interno usu ex tempore parabilis, si tamen quis uti hac tinctura velit.

CXLI. Tinctura millepedum.

Menstruum (spiritus vini) hic basi (millepedibus) actuosius est, ut id in pluribus aliis similibus remediis obtinet. Medicamentum certe excludendum.

CXLII. Tutia praeparata.

Hodie ad curandos oculorum morbos exsoleta.

Unguenta.

Etsi unguenta sint remedia externa emplastris multo aptiora, non idcirco chirurgus

gus intelligens nostrorum temporum eget illa in medicamentorum catalogo indicatorum inque pharmacopoeis militaribus asservatorum unguentorum multitudine. Si unguentum mercuriale exceperis, in reliquorum usu quidem solus rationalis finis est, ut principium remedii activum profundius ultra cutim introducatur. Primaria medici intentio est per unguenta, uti jam supra de emplastris monuimus, aut cutim defendere ab influxu atmosphaerae ejusdem et exhalationem impedire, aut cutim emollire et flaccidiorem reddere, aut irritare et stimulum domesticum ope stimuli artificialis extranei delere vel immutare. Omnes hosce fines per pauca unguenta assequi licebit.

CXLIII. Unguentum aegyptiacum.

Proprie unguentum non est, sed aeruginis oxymel. Aerugine tutiora habemus remedia ad scopum in curatione obtinendum.

CXLIV. Unguentum album camphoratum.

Cerussam cum terris esse mistam, jam supra dictum est. Propterea alia unguenti plumbei praeparandi formula recepta fuit. Qui camphoram additam desiderat, ex tem-

 pore

pore addat, ubi unguento habet opus, alioquin totam avolaturam.

CXLV. Unguentum album simplex.

Cur hoc ex pharmacopoea militari exulet, patet ex priori.

CXLVI. Unguentum apostolorum.

Reliquiae dispensatorii Viennensis antiquissimi, quae jam diu sub alto rudere jacebant.

CXLVII. Unguentum de arthanita.

Qui in anthelminticis externe applicatis adhucdum confidit, non propterea eget unguento ex decem materiebus, uti de arthanita istud, conflato. Unicum fel tauri recens, ventri affrictum, practico intelligenti, qui praeter externa etiam internis remediis utitur, faciet satis.

CXLVIII. Unguentum lithargyri.

Post assumpta jam unguenta duo plumbea, de quibus num. CXLIV. et CXLV.

dic-

dictum est, profecto quis divinasset, de hoc tertio addendo cogitari potuisse.

CXLIX. Unguentum Jasseri.

Hoc unguentum minime respondit summae exspectationi, quam encomia excitaverant. Sulphur vel mercurius contra scabiem veram primaria semper manent remedia externa.

CL. Unguentum de styrace.

Quis hodie ab hoc unguento ad ambusta peculiare quiddam sperabit?

CLI. Unguentum de tutia.

De hoc jam num. CXLII., quod scitu erat opus, adnotatum legitur.

CLII. Viscum quercinum.

Apud Druidas forte olim in magna aestimatione, nunquam tamen in morbis nervosis, utut Angli commendaverint, quidquam boni praestitit.

CLIII. Vitriolum de cypro.

Ad haemorrhagias sistendas aqua Thedenii vitriolo caeruleo melior est. Ceu caustico utiliora illo habemus. Hinc superfluum.

CLIV. Uva ursina.

Suae in calculosis morbis celebritati supervixit.

SECTIO ALTERA.

De medicamentis, quae in pharmacopoeis militaribus Caesareis servata fuerunt.

In horum medicaminum catalogo ordinando haud videbatur incongruum, in usum medicorum castrensium juniorum et inexpertorum, quibus aliunde librorum abundantia non suppetit, praecipuis remediis observationes quasdam practicas cautelasque adjungere. Descriptio uniuscujusque medicamenti omnibus numeris absoluta, modi ejus agendi, et indicationum methodi, qua adhiberi possit, hoc loco nimium quantum nos a fine proposito deflexissent; sed curabitur, ut in futura medicorum castrensium instructione academica quam maxime habeatur ratio dilucidandorum medicamentorum sine ulla excep-

tione

tione omnium, quae in novo eorundem elencho occurrunt.

I. Acetum lithargyri.

Est calcis plumbi solutio in acido aceti. Vulgo sic dictum extractum lithargyri eadem est solutio, sed vaporando valde concentrata. Ex hujus remedii aliorumque ex plumbo confectorum usu perverso pluribus in casibus omnino oriri varii nocivi effectus, dolores colici, paralyses, aliaque possunt: at vero (seposito etiam damno indubitato, ex interno aut diutius protracto externo remediorum plumbeorum usu secuturo) in universum haud aliter comparatum est cum caeteris remediis heroicis omnibus, uti ex ipsius corticis peruviani historia et ex tot infaustis mercurii imprudenter applicati effectibus discimus, ut nec propterea cuiquam venerit in mentem, usum corticis peruviani aut mercurii tam injuste, quam olim alibi in antimonium animadversum est, singulari decreto interdicere. Remedia plumbea in certis morbis externis, qui nec a causis internis ortum ducunt, nec diuturnitate sua in consuetudinem et veluti in aliam naturam versi sunt, saepe eximia praestant. Scilicet non raro dolores leniunt acerbissimos, et resistunt nimio

mio impetui humorum in partem irritatam irruentium, imprimis si causa debilitans, exempli gratia violenta concussio, contusio aut expansio alicujus partis praecesserit; quo fit, ut inflammatio saepe tollatur ipsa, et longa sic praevertatur suppuratio. Hinc absurdum est, in scientia, quae ad solum nutum experientiae et intellectus duci se patitur, suprema quadam auctoritate usum remediorum plumbeorum ex chirurgia ejiciendum decernere, et ita tot aegrorum millia beneficio remedii, a summis viris laudati et quotidiana experientia confirmati, privare velle; dum interea ex altera parte plumbum tantopere inculpatum memoria excidisse videtur, quod in tot diversis emplastris hucusque servatis latens, fere cuilibet externo malo applicandum commendatur. Novimus, plumbum esse ad ambusta superficialia remedium vulgi, felicissima longaque experientia firmatum, quando aut cerussa ipsa, aut melius acetum lithargyri oleo bono curate mistum inque unguenti speciem redactum, maximo cum levamine symptomatum parti ambustae imponitur. Acetum lithargyri, longa decoctione circiter ad dimidias evaporatum, fit sic dictum *Extractum plumbi*, quod ad unam alteramve drachmam infusum in duas aquae libras sistit vulgo vocatam

Aquam

Aquam vegetomineralem vel *lac plumbi*, cui, ubi conducit, *spiritus camphorae* ad unciam dimidiam addi potest. Ex mica panis et hac aqua vegetominerali paratur *cataplasma saturninum.*

II. Acetum vini simplex.

Res primaria ad conservandam in exercitu sanitatem, et tam ipsa per se quam praeparandis aliis remediis in pharmacopoeis summe necessaria. Acetum inter optima medicamina est in febribus inflammatoriis et biliosis, ubi melle junctum et aqua sufficiente dilutum dat gratissimum et utilem potum. Multiplex etiam docuit experientia, acetum, copia majore ingestum, esse ex certioribus remediis contra assumpta vegetabilia soporifera, uti fungos varios venenatos, cicutam, belladonam et alia, si non possint nociva haec corpora per validum emeticum ex ventriculo statim expelli. Imo externe acetum, aqua frigida mistum, linimentis optime inservit; quin solum saepe in notabilibus narium uterive haemorrhagiis auxilium adfert. Etiam in quibusdam eruptionibus herpeticis, modo ne a causa interna originem trahant, sed mera sint affectio cutanea, repetita lotio cum aceto purissimo primariis

re-

remediis adnumeratur. Utimur nonnunquam aceto in clysmatibus adversus alvi suppressiones pertinaces. Hinc diligenter curandum est, ut ne in pharmacopoeis acetum sit aut debile nimis, aut semiputridum, aut jam vapidum, turbidum aut male olens, aut quod antea in vasis cupreis plumbatisve fuerat asservatum. Nonnunquam acetum adulteratur vitrioli affuso acido, quae fraus momento detegitur ope terrae ponderosae in aceto solutae. Frequentius autem haec adulteratio perficitur, quando aceto, ex vinis vilibus parato, res acres diversi generis, ut piper vulgare, idem vulgo hispanicum, radix ari, baccae meserei, zingiber, galanga, aliaque, adduntur, quibus fit, ut aceti virtus propria invertatur tota, idemque saepe sanitati evadat noxium. Haec fraus detectu difficilior est; possunt tamen et odor et sapor, non vero sic filtratio et evaporatio, nos ad notitiam fraudis necessariam perducere. Quam maxime eo res redit, ut mercatoris probitatem, vel fabricae famam et simpliciorem in illa aceti conficiendi methodum perspectas habeamus; quae quidem omnia curae pharmacopoei militaris et ipsorum etiam medicorum committuntur. Siqua suspicio in acetum cadit, haesisse in vasis aeneis aut vitro plumbeo inductis, de cupro quid solu-

tum

tum sic fuisse indicabit color cyaneus, qui mox orietur, dum tantillum hoc acetum spiritu salis ammoniaci supersaturabitur. Eadem mistio opalino colore turbabitur, si acetum in vasis stanneis asservatum diu fuerit. Omnia tamen haec tentamina et plumbi in aceto contenti exploratio, quod inde plerumque dulcescit, magnam exigunt accurationem fundatumque in principiis chemicis procedendi modum, quae non sunt hujus loci.

Una videtur adhuc *observatio* ad rem nostram facere. Jam olim Romani sanitatis causa volebant militibus suis acetum semper esse ad manus, ut in itineribus longis aestu languentes eo uterentur, aquam saepe impuram emendarent, et sic potione acidula sedarent sitim. Haec adusque tempora nostra protracta consuetudo ratione nititur et experientia, namque talis potio sitim certo melius restinguit, acidumque aceti nocivam aquae residis putridis omnis generis faecibus inquinatae, qualitatem corrigit quam maxime. Suboritur praeterea inter milites, dum magno sub aestu improbos labores sustinent, singularis dispositio ad morbos inflammatorios, qui in universum contra vulgarem theoriam scholasticam multo est in regionibus calidis quam in frigidioribus notabilior. In-

so-

solatio, phrenitides, rheumatismi, dysenteriae inflammatoriae, aliaque in itineribus longis aestivis oborta mala, totidem sunt hujus asserti argumenta evidentissima. Posteaquam autem superioribus temporibus plerique morbi acuti in scholis attribuebantur humorum putrescentiae, secundum hanc theoriam acetum laudari coeptum est ceu remedium ferme indubitabile, cum ad sanos a morbis similibus defendendos, tum ad plerasque febres nervosas, quae vel adhucdum vocari putridae solent, impugnandas. Exercitibus igitur usus frequentior aceti commendabatur omni in casu, ubi putrescentiae humorum vel levissima erat suspicio; nec intelligebatur, sanos milites, aliunde victu rudiori nec sane nimio usos, sic cogi ad curationem veluti prophylacticam cum aceto subeundam, qua digestionis organa eorundemque vires in dies magis magisque debilitari erat necesse. Quin ipsa haec est debilitas, qua nimis saepe corpus suscipiendo periculosorum morborum fomiti magis obnoxium redditur; et cum aliunde etiam pleraeque febres castrenses istiusmodi fomitem contagiosum pro causa agnoscant, facile videre est, idem praecise hoc remedium, quo milites conservari posse erat in votis, non raro eorundem sanitatem labefactasse, et sic illos ad multiplicia perferen-

da

da mala praeparasse. Militiae praefecti aliique praepositi, qui cibis succosioribus vescuntur, et quibus praeterea saepius boni vini potio obtingit, semper milite vulgari rarius a morbis contagiosis afficiuntur; atque hinc nunquam venire in mentem cuiquam debuisset, remedium, ex se debilitans, quale acetum est, morbos antevertere posse, qui, licet non semper ex ipsa debilitate oriantur, hominem tamen debilem promptius invadunt. Si itaque in provinciis, ubi vinum vili venditur, castra quamdiu exercitus ibidem in paludosis locis periculose moratur, militibus una cum cibis satis nutrientibus subinde vini potionem loco aceti suppeditari posse daretur, esset certe hoc optimum et simul gratissimum ad certam eorum conservationem remedium; ubi autem nullae adsunt causae aut diatheses manifestae inflammatoriorum, esset duntaxat parce aut plane nunquam adhibendum.

III. Aloë succotrina.

Hujus remedii diversa fuerunt fata, modo ad plerosque morbos in usum tracti, modo extra omnem usum positi. Experientia docet, aloën pollere vi irritante; hinc est, quod in juvenibus plethoricis, in diathesi inflammatoria,

in

in veris haemorrhagiis, sine damno dari nequeat. Et hoc respectu affirmare licet, aloën, immediate sic intestina irritando, haemorrhoides excitare, aut, si hujusce generis haemorrhagiae jam adsunt, malum augere. At vero in aloë quaerere velle vim specificam, qua in sola determinata vasa ageret, duceret nos ad finem erroneum, et ab experientia minime comprobatum. Pauca possidemus pharmaca amara, quae simul virtutem habent expellendi faeces, ob inertiam tractus intestinalis congestas. Aloë saepe optimum certissimumque remedium est in hominibus parum irritabilibus nec plethoricis ad morbos chronicos, quos febris non concomitatur. Tum ad digestionem debilitatam, et ad alvi adstrictiones obstinatas, quae toties una sunt ex gravissimis causis stagnantis in vasis haemorrhoidalibus sanguinis. Atque ita aloë actionem bilis debilioris facile compensat, quocum amarore et viribus plurimum convenit. In adultis minusque irritabilibus, magno vermium numero et multo, horum perpetuo comite, glutine intestinali tenaci laborantibus, inter praestantissima remedia est, quibus intestina ab hoc onere liberantur. Nec minus externe aloë a multis chirurgis in ulceribus fungosis et sordentibus, etiam a quibusdam in

os-

ossium carie adhiberi suevit; sed, praeterquam quod adversus ulcera illa prostent remedia meliora, aloë iisdem inspersa in quibusdam hominibus diarrhoeam produxit, et in carie nihil adeo ab illa videtur exspectandum.

IV. Alumen crudum.

Hoc pharmacum tam in morbis internis quam externis, qui a debilitate partium solidarum imprimis ortum ducunt, ex praecipuis unum est. Interne datur in diarrhoeis diuturnis, quarum causa saburra non ultra est, nec quae ab obstructis glandulis meseraicis aut occultis suppurationibus originem petunt; imo ipsis in sic dictis febribus putridis, quibus diarrhoeae associantur debilitantes et immodicae; tum quoque in haemorrhagiis, quae ab inertia vasorum pendent; ipsoque sic in diabete. Externe vero a prudentibus medicis cum insigni emolumento adhibetur in ophthalmiis simplicibus diuturnis, in anginis catarrhalibus levibus, gonorrhoeis benignis, fluore albo, aliisque. Efficaciam quoque suam monstrat in variolis malignis cum humoribus nimiopere dissolutis, in febribus sic dictis putridis cum petechiis. Pro usu interno alumen pulveratum

cum

cum saccharo aut gummi arabico mistum datur in dosi duorum triumve granorum singulis vel alternis horis. Sunt, qui successive dosim augent ad unum scrupulum. Pro collyriis granum unum aluminis in aquae destillatae uncia una solvitur, sic etiam pro injectionibus in urethram. In haemorrhagiis validis, imprimis uteri, nisi in causa sit corpus heterogeneum retentum ut placenta, vel ipsa uteri inflammatio, ad injectiones, vel ad ita vocatos *Tampons*, una vel et sesquidrachma aluminis sumitur ad unam aquae libram. Interne datum videtur alumen actione sua in ventriculi et intestinorum nervos haemorrhagias etiam dissitas sistere. Nimia dosi non raro diarrhaeas, purgantis remedii ad instar producit; quod etiam de aliis pharmacis adstringentibus, uti de gummi Kino et de ipso cortice peruviano observatum fuit. In colicis a debilitate tractus intestinalis ejusque violenta distensione ob flatus inclusos ortis, imo in colicis pictonum, saepe inventum alumen utile fuit.

V. Alumen ustum.

Hujus praeparati utilitas in ulceribus fungosis impuris cognita habetur.

VI. Amygdalae dulces.

Inserviunt unioni corporum resinosorum cum aqua, optimumque praebent emulsum. Attendendum praeprimis est, ne nimis sint vetustae aut rancidae, quo casu non tantum saporem habent ingratum, sed vere etiam nocere possunt.

VII. Antimonium alcoholisatum.

Etiam hoc remedium diversa fata expertum est. Secundum experimenta extra corpus instituta, in humoribus animalibus non solvitur. Conspicua tamen et probata utilitas assumti antimonii subtiliter pulverati conjecturam confirmat, longe aliter cum illo esse comparatum, quando vires vitales organorum, ad digestionem facientium, ad ejus subactionem operam mutuam conferunt. Interea cum experimenta chemica docuere, nec aquam nec vegetabile decoctum quidquam de antimonio in linteo ligato unaque cocto solvere, nisi sal alcalinus, qui in istiusmodi decocto non quadrat, forte adfuerit; certe haud ultra hicce procedendi modus est commendabilis, agiturque melius, si subtilis crudi antimonii pulvis a decem granis ad unum scrupulum, vel etiam ad usque drachmae semissem,

cum

cum aequa portione magnesiae mistus, quotidie semel vel bis praescribitur. Si quis boli praefert formam, cum roob sambuci pulvis ille subigi poterit.

VIII. Arcanum duplicatum.

Sal neuter utilissimus ex alcali fixo vegetabili et acido vitrioli conflatus, cui ad metastases lacteas praerogativa prae aliis salibus neutris ex rationibus non firmis concessa fuit. Sal hic parvi pretii, quod pauciorem, quam crystallisati sales Glauberi et amarus, aquam crystallisationis continet, purgat minori dosi quinque vel sex drachmarum, quae tamen ad sui solutionem multum aquae exigunt.

IX. Axungia porci.

Si haec pinguedo a cellulosa membrana, qua continetur, bene purgatur, nec igni nimis diu exposita fuit, nec vetusta nimium est, quo facillime rancescit, tum omnium pinguedinum caeterarum loco, imo ipsius olivarum olei, quod ad pleraque unguenta suscipitur, optime adhibetur.

X. Baccae juniperi.

Optimum inter Europae aromata. Quod ex his baccis destillatur oleum aethereum, plerumque oleorum exoticorum cari pretii et saepe adulteratorum in locum, tam interne, quam ad emplastra dicta nervina externe, usui esse potest. Roob ex baccis maturis confectum, evadit theriaca naturalissima et maxime innocua, si pulveratae angelicae vel calami aromatici quiddam et modica opii dosis adjunguntur. Infusum harum baccarum aquosum et debile saepe in hydropibus, a debilitate ortis et febre carentibus, optime promovet urinam. Non tamen baccae ex pharmacopoeis militaribus sunt petendae, quia ubique facile conquiruntur, sed comparantur ex nosocomiorum pecuniis.

XI. Borax.

Hujus salis proprietates medicae nondum tam determinate cognitae sunt, ut possit ejus actio proficua in aphthis rite explicari. Quaecunque autem vires singulares aliae boraci attributae fuerunt, experimentis certis non comprobantur. Si boracis parti uni adduntur tartari crystallisati partes septem vel

octo,

octo, cum majore hujus mistionis solubilitate in aqua, mutatio quidem simul accidit in natura et copulatione utriusque hujus salis, nihilominus tamen sic exsurgit sal compositus, ad usum medicinalem maxime idoneus, et sub incongruo cremoris tartari solubilis titulo notus.

XII. Camphora.

Quamdiu nulla habetur ratio causarum, quae morbos producunt, et quarum abactione hi ipsi tolluntur, semper difficile erit determinatu, utrum certa remedia ad classem debilitantium (refrigerantium) an ad illam stimulantium (calefacientium) pertineant. Qualiacunque in animalibus vel inseparatis, sed adhuc irritabilibus, fibris muscularibus facta experimenta adducuntur, ut camphorae virtus stupefaciens simulque debilitans demonstraretur; omnia tamen illa, ex diu cognita experientiae hac lege, unumquemque validissimum stimulum sensibilitatem et irritabilitatem fibrarum vivarum tandem tollere et abolere, facile poterunt explicari. Et sic objectiones, omni attentione medici practici dignae, quae a quibusdam medicis contra vim camphorae stimulantem (calefacientem) factae fuerunt, facillime solventur. Actio

camphorae conspicua, uti illa vini aliorumque remediorum stimulantium, consistit in eo, ut plerumque attollat motum cordis et arteriarum; ut pulsum celeriorem pleniorem fortioremque reddat; calorem totius corporis, faciei ruborem oculorumque nitorem augeat; ut saepe perspirationem et sudorem promoveat, et oris siccitatem sitimque majorem post se relinquat. Cum tales sint camphorae effectus, manifeste constat, illam in veris morbis inflammatoriis non esse exhibendam; sed tunc imprimis in usum vocandam, ubi vera debilitas aut irritabilitatis inertia in causa sunt. Juvat igitur in febribus nervosis vel sic dictis putridis cum pulsu molli nec contracto, cum tendinum subsultibus, tremore et hebetatione sensuum internorum; in exanthematibus, quae cum ista febre conjuncta sunt; in mania, a causis debilitantibus orta; in vetustis ulceribus, aliisque. Externe non aliter quam praecise stimulo suo agit; unde haud consultum est, illam emplastris vesicatoriis admisceri, cum nec ardorem urinae in usu cantharidum avertat, et facile stimulum validiorem in cute excitet, ac in aegris debilibus det ulceribus imo vel ipsi gangraenae locum.

Quod

Quod ad copiam camphorae, interne exhibendae, spectat, medici non idem sentiunt; dum sunt, qui a dosibus fortioribus saepe malos effectus, delirium et stuporem, a paucis ex adverso granis aeque bonos, atque alii a dosi fortiore, observasse se praetendunt. Pendet quidem haec res imprimis a gradu sensibilitatis et ab idiosyncrasia quorundam hominun; sed tamen non minus etiam constat, hoc remedium saepissime, idque praecipue in faemineo sexu, a dimidia ad integram drachmam, atque etiam copiosius, non solum absque ulla noxa, sed summo cum emolumento dari. In clysmatibus camphora, mucilagine gummi arabici aut vitello ovi soluta, cum chamomillae, si placet, infuso vel cum decocto corticis peruviani,ab una ad duas drachmas audacter injici potest. Pulveris sub forma, tritaque cum paucis guttis spiritus vini, sicca camphora ventriculum sensibiliorem interdum irritat, quare melius saepe in misturis praescribitur. Spiritus vini camphoratus, quod camphora facile avolat, aptius ex tempore, solvendo illam in spiritu vini rectificato, praeparatur.

XIII. Cantharides.

Ut cantharides cum certitudine quadam agant, oportet illas esse sat recentes nec jam diu pulveratas. Non est necesse, emplastrum cuti imponendum penitus implere cantharidibus; sufficit enim, inspergere cantharidum pulverem superficiei cujuscunque emplastri vulgaris, huic leviter apprimendum solo aut uti emplastro vesicatorio communi, tenuiter duntaxat illinito. Sponte intelligitur, ante pilis nudandum esse locum, cui istiusmodi emplastra applicanda sunt. Perversae consuetudinis est, partem, cui tale emplastrum imponi debet, prius fortiter fricari, quia haec irritatio non raro inflammationibus validis ulceribusque cutaneis pessimis causam praebet. Si tamen artus, ad quos emplastra vesicatoria applicantur, refriguerint, raro haec agunt, nisi cataplasmate emolliente calido tegantur. Non semper vesicas sequi necesse est, ut effectum in morbis edant; quin potius multae aegro remittentur molestiae, si adusque ruborem modo et ad majorem cutis affectionem agere queant. Saltem evitanda est crudelis illa epidermidis abstractio, quae aliunde ope pinguedinis impositae paulatim sponte secedet. Emplastra, de quibus hic sermo est,

pau-

paucissimis in casibus operantur per suppurationem, quam in loco, cui applicata fuerunt, inducunt; et ex eo, quod serum in vesica per vesicatorium exorta, non raro pessime oleat, male infertur, sanguinem veluti peccare acrimonia, cujus evacuatio virtuti extractoriae cantharidum adscribenda sit. Agunt enim illae solo validissimo stimulo suo in partes solidas, quarum actuositatem per totum systema exaltant; cumque illum locum, in quem praecise agunt, fortiter irritent, minuunt saepe mediate dolorem in parte profundius sita, aut spasmum solvunt topicum in parte remota. Huic partim actioni, partim etiam aucto humorum circulo, attribui oportet promotionem sudoris, qui saepe post cantharides adhibitas observatur. Unde facile intelligitur, quantum damni emplastra vesicatoria illis aegris saepe adferant, qui in omnibus fere morbis acutis toti veluti cantharidibus obteguntur, et quos sine discrimine et sine ullo respectu causarum per validissimum sanari stimulum scopus est, quum saepe ex adverso, ut in morbis inflammatoriis, in quibus alioquin stimulus ubique nimius est, tota morbi curatio in compescendo hoc stimulo absolvitur. Quamvis partes cantharidum volatiliores quaedam a vasis absorbentibus sus-

cipi

cipi videantur, ut illarum actio singularis in vias urinarias et in partes genitales docet, ridiculum tamen est, ex aliquot experimentis, cum sanguine misso extra corpus humanum institutis, concludere velle, cantharides eodem plane modo in humores nostros motos agere, sanguinemque attenuare. Ex hac male fundata opinione plures medici applicationem cantharidum in febribus nervosis repudiarunt, in quibus aliunde jam putrescentem humorum solutionem adesse supponebant. Sic saepe nuda hypothesis nos privat auxilio remedii optimi, quod in re tam gravi solum adhuc nobis adjumento esse potuisset. Ita dicta vesicatorii renovatio, dum plagae ab emplastro productae jamque fere sanatae novus inspergitur cantharidum pulvis, est methodus quam maxime rejicienda, utpote quae ulceribus diuturnis et valde malignis causam dedit. Siquidem novo stimulo videatur opus, potius ille in novo aliquo excitetur loco, in quo de tantis damnis nullus metus est. Ardor urinae, qui a cantharidibus in frigidioribus regionibus quam in calidis frequentius occurrit, solo amygdalarum emulso, in quo aliquot drachmae gummi arabici solutae sunt, optime tollitur, tum, ubi opus est, clysmatibus emollientibus, vel tandem semicupio tepido. Notum

est,

est, emplastra vesicatoria, regioni ossis sacri imposita, utiliter saepe agere in vesicam urinariam, paralysi correptam, et in ortam hinc impotentiam urinae aut retinendae aut dimittendae. Simili agunt irritandi modo, dum applicantur loco, a quo partes aliae paralyticae nervos suos accipiunt. Imo sunt medici, qui in morbis pertinacibus cantharides praescribunt interne cum saccharo in pulverem tritas in minuta dosi ab una quarta grani parte ad dimidiam, aut tincturam cantharidum ad paucas guttas. At consultius a remedio tam violento et ambiguo interne abstinetur, quod duntaxat a peritissimis medicis in quibusdam malis chronicis pertinacissimis summa cum prudentia adhibetur.

XIV. Cera citrina.

Cum solummodo ad justam emplastris et quibusdam unguentis conciliandam spissitudinem usui venit, tantum in laboratoriis servatur.

XV. Cortex peruvianus.

Quam maxime esset hic superflua hujus remedii praestantissimi laudatio, et nec spa-

tium nec scopus brevium horum commentariorum sinunt casus exacte definire, in quibus adhiberi aut non adhiberi possit. Inter officia medici castrensis praecipua est, bonitatis remedii hujus excellentis curam gerere, et vel minimum de ejus sinceritate aut bonitate obortum dubium illico explanare, ut aeque cito, quae necesse sint, provideantur. Ad usum promtiorem et ob transvectionis commodum cortex hic in pulverem rudem tusus pharmacopoeis nosocomiorum tradetur. Subtilior autem pulvis est imprimis praescribendus. Praeter specificum saporem et odorem corticis peruviani, in infuso calido maxime perceptibilem, distinguitur a corticibus quercus, fraxini, aliorumque similium sequente methodo. Una uncia examinandi corticis ruditer pulverati coquitur in libra una aquae fontanae purae; decoctum filtratum et fuscum, adhucdum calens, imponitur vasi aqua frigida pleno. Hoc decoctum, si cortex peruvianus est sincerus, brevi ex fusco albescet, coloremque acquiret potus caffeae debiliter lactei.

Si autem hinc totius negotii cardo est, ut habeatur cortex bonus, ut justo tempore aegris exhibeatur, et ut determinetur remedii dosis, fatendum inde est, saepe plures

re-

remedio hoc pretioso et saepe difficulter bonae notae comparando quam maxime abuti solere. Imprimis usus ejus externus, nulla ratione suffultus, non raro in merum dispendium abit. Chirurgus peritus, qui novit, quanti hoc remedium constet, et quando vere indicetur, potest quotannis, sine ullius aegri detrimento, plurimo sumptui parcere. Saepe simplex decoctum corticis quercus, cum vel sine alumine, in parte aliqua debilitata et in ulceribus fungosis idem praestat ac carum illud corticis peruviani. Nec etiam, uti notum est, in omni gangraena cortex peruvianus indicatur; et dantur casus, ubi febris inflammatoria aut inflammatio adhucdum primas agit, quando non sine magno detrimento dari potest. Idem puta in gangraena sicca, praecipue digitorum pedis. Etiam pro usu interno, quantum possibile est, et aegri ferre queunt, cortex in substantia, uti ajunt, sive in pulvere dandus est, nam triplum corticis decoctum saepe potandum est, ut idem effectus sequatur. Semper medico in usu corticis animo attento opus est; modo enim sine noxa, modo vel cum noxa exhibetur, quando in febris decursu nulla remissio observatur. In rem aegri ab ejus usu plane desistendum est, si ad cordis scrobiculum anxietas ab illo assumpto oritur,

tur, si delirium increscit, et venter tumefit. Extractum chinae quidem efficax est, et in quibusdam casibus omni alteri praeparato anteferendum; sed cum carioris sit pretii, oportet ejus usum praecise istis casibus esse accommodatum, nec ultra hos esse extendendum; atque huic rei medici castrenses primi ordinis singulariter invigilent. Si simpliciter roborandum est, praesto sunt remedia multo viliora, quae corticis peruviani locum apprime occupent; quorsum cortices quercus et salicis pertinent, aut partes duae radicis gentianae cum una tertia parte radicis tormentillae conjunctae. Sin periodici quiddam in morbo est, aut gangraenae periculum imminet a causa interna, non potest sine culpa a cortice peruviano abstineri.

Juvat tamen de usu cortisis chinae pauca quaedam dixisse. Cavendum est, ne cortex in casibus vere inflammatoriis, et in quibus irritabilitas aliunde superat, praescribatur. Interea nec haec regula sine exceptione est; nam certo dantur inflammationes periodicae, exempli gratia: peripneumoniae tertianae, in quibus cortex ad summum post unam alteramve sectionem venae, tempore apyrexiae, exhiberi sine omni scrupulo, et sic reversio accessionis facile lethalis quantocyus anteverti debet.

In

In febribus acutis multoties medici propter virium aegrorum sic dictam prostrationem inducuntur, ut chinam exhibeant, quamvis plerumque cum detrimento hoc fiat aegrorum. Usus chinae neutiquam eget praemissis remediis vulgo solventibus aut evacuantibus, nisi signa adsint saburrae primarum viarum, aut obstructionum notabilium. Quo copiae vicinius paludosis et coenosis locis morantur, eo est apud illas exspectatio febrium periodicarum certior et tanto quoque suspicio probabilior, etiam febres acutas remittentes illas, quae milites, imprimis autumno, frequenter invadunt, ejusdem characteris esse. Ipsae dysenteriae in castris epidemicae, obscuram quidem, sed ab industrio observatore sat cito cognoscendam, non raro indolem periodicam habent; et hisce in casibus dilatio longior corticis peruviani post repetitas evacuationes praegressas ut plurimum lethalis est. Quando in universum febres regnant intermittentes; quando plures aegroti ex febre nervosa in febrim intermittentem aut ex hac in illam incidunt; quando febrium exacerbationes singulis vicibus aut post alternos dies validissimae sunt; vel frigus praecedit, et paroxysmus sudore largo et male olente terminatur; quando urina sedimentum lateritium deponit;

nit; aut quando aeger haud diu ante morbum suum acutum febre laboravit intermittente; veri similitudo maxima existit, praesentem nunc febrim nervosam remittentem ad familiam intermittentium pertinere, et cortice chinae curari omnium citissime posse. Obstructiones, nec non icteri et hydropes, quibus febres intermittentes neglectae causa fuerunt, usu tempestivo corticis peruviani pulverati cum roob sambuci et interdum cum oxymelle scillitico haud difficulter sanantur. Corticis chinae utilitas in suppurationibus diuturnis nimiis, et in pure malae notae ex defectu virium, peritum chirurgum non latet. Si china, bene indicata, diarrhoeam movet, attendere oportet, viresne inde imminuantur, nec ne. Primo in casu china conjungatur cum vino aut calamo aromatico. vel tandem cum opio; in altero sistatur demum diarrhoea, dum nullum ultra superest saburrae indicium, aut quando magni momenti ratio novum febris accessum antevertendum esse docet. Tam in ipso chinae usu contra morbos periodicos quam etiam diu post illum, abstinendum esse ab omnibus causis debilitantibus, praeprimis vero a venae sectionibus et ab evacuationibus, vix opus est adnotare.

XVI.

XVI. Cortex Simarubae.

Cortex hic quidem partem laudis, quae vere ultra merita illi in principio attributa fuerat, hodie perdidit; nihilominus tamen adhucdum adnumeratur praecipuis remediis adversus diarrhoeas pertinaces, imo etiam dysenterias quasdam, in quibus leviter adstringentia simulque roborantia indicantur. Ab una ad duas drachmas in libra una aquae coquitur ad residuas uncias octo, et hujus decocti filtrati circiter unciae duae quolibet bihorio exhibentur.

XVII. Crystalli tartari in pulvere, *vulgo* cremor tartari.

Hujus salis utilitas in febribus gastricis, imo inflammatoriis nota est. Unum vel sesquigranum tartari emetici cum uncia una istius salis perfectissime mistum facit speciem pulveris digestivi solventis et leviter evacuantis, qui ter quaterve ad sesquidrachmam vel duas drachmas intra diem datus, in saburra primarum viarum optimos praestat effectus, dum et ventrem servat resolutum, et perspirationem promovet. In hydropibus pluribus, imprimis in hydrope anasarca, quam calor urens et motus febriles comitantur,

tur, cremor tartari saepe solus sufficit. Etiam cremor ille cum pulpa prunorum apte conjungitur, si alvum solvere scopus est; quae mistio in pulpae tamarindorum locum optime cedit.

XVIII. Emplastrum diachylon simplex.

XIX. Emplastrum diachylon cum gummi.

XX. Emplastrum vesicatorium.

Ope horum trium emplastrorum omnem scopum, qui ab emplastrorum applicatione cum ratione exspectari possit, perfecte adimpleri, elucet ex iis, quae in sectione prima num. XXX. jam dicta leguntur. De emplastro vesicatorio etiam ad titulum de cantharidibus abunde actum est.

XXI. Extractum amarum.

Videatur in sectione prima ad num. L.

XXII. Extractum aconiti napelli.

Hoc extractum, si quotannis recens et rite praeparatur, magnam celebritatis suae partem meretur in arthritide vaga chronica

vel

vel in rheumatismis pertinacibus, et in hujus generis obstructionibus glandulosis. Datur a dimidio ad unum granum semel intra diem; et si nulla vertigo aut animi defectio subsequitur, cum prudentia necessaria successive augeri dosis ad grana quinque et viginti potest, et extractum exhiberi cum saccharo tritum solum, aut cum remediis junctum. Bene tamen agitur, si tam hujus, quam caeterorum medicaminum venenatorum, ubi nihil juvant, usus ultra mensem non protrahitur.

XXIII. Extractum corticis peruviani.

Consule num: XV. hujus sectionis.

XXIV. Farina seminum lini.

Utiliter ob partes suas glutinosas ad cataplasmata emollientia adhibetur.

XXV. Farina sinapi.

Cum haec farina praeprimis ceu remedium irritans externum in usu est, et cum fermento panis subacta cuti applicatur, per actionem suam in totum systema ope nervorum cutaneorum haud male congruit cum ac-

tione cantharidum. Sed praestat farina sinapi cantharidibus, quod non ita agat in vias urinarias; quare cantharides in morbis renum, vesicae urinariae, urethrae, ipsarum quoque partium genitalium saepissime absque noxa applicari nequeunt. Docet interea experientia, sinapismos non raro ipsis cantharidibus magis irritare cutim, et longe ultra locum quem occupabant, inflammationem rubefacientem excitare. Ob hoc ipsum sinapismi, praecipue in infantibus aut hominibus tenerrima cute donatis, imponi partibus maxime irritabilibus summa duntaxat cum praecautione debent, nec diutius relinqui quam ad modicam usque cutis rubescentiam. Caeterum quoque farina sinapi a pluribus medicis commendatur, ut remedium irritans internum in febribus nervosis et in ventriculi affectionibus, quae a sola debilitate oriuntur, vel infusa aliquamdiu in vino aut lactis sero, vel sub forma pulveris. Atvero qui sinapi ad cibos uti solitus est, in morbis haud multum expectare ab his remediis poterit.

XXVI. Flores arnicae.

Pharmacum irritans, in febribus nervosis et in debilitate virium vitalium in universum utile. Flores modicam coctionem in

aqua

aqua ferunt, quae virtutem radicum hujus plantae imminueret. Possunt flores arnicae vel ab una ad duas drachmas in una alterave libra aquae, vel ubi fortius agi debere judicamus, ab uncia semisse ad sesqui in aquae libris tribus coqui, et duabus colaturae libris addi una mellis aut syrupi communis uncia, et potionis hujus vasculum exhiberi omni bihorio. Flores etiam pulverati, cum melle aut syrupo in electuarium misti, utiliter dati imprimis in febribus intermittentibus fuerunt. Imo etiam contra paralyses et amaurosin haec planta celebritatem adepta est. Aegris non raro adfert cardialgiae speciem, quae tamen ex dosi modica ut plurimum leviusculi momenti est, et successive iterum evanescit. Nec tamen propterea experimenta omnia laudatam adeo hujus remedii virtutem confirmarunt; quin potius in multiplicem abusum aperte abierit. Cum enim arnica sit remedium valide irritans, in morbis, qui proprie in nimis aucta corporis irritabilitate consistunt, certe utilitatem adferre nullam poterit; unde facile est videre, quo fundamento arnica (quae etiam sub titulo herbae ad lapsus (Fallkraut) vulgo nota est) in quacunque sanguinis stagnatione in cellulosa, post lapsum validum aut post fortes concussiones, vel etiam post haemorrha-

gias activas praescribatur. Certe si inflammatio aut febris inflammatoria hisce casibus comes est, aut si paralysis, vel amaurosis oritur ab impletione vasorum cerebri, alisve a causis, quae stimulum praeternaturalem producunt; tunc arnica, omnis alius remedii irritantis adinstar, evidentissime noxia est et exspectandum ab ejus usu est symptomatum omnium augmentum.

XXVII. Flores chamomillae vulgaris.

Virtutis spectatae; quam tamen ut diu retineant, sunt in vasis clausis asservandi.

XXVIII. Flores sambuci.

Idem de his, quod de praecedentibus, dictum puta.

XXIX. Flores sulphuris.

Cum sulphur flavum, vulgo venale, bene purum sit, haud egemus sic dictis sulphuris floribus, quibus aliunde quiddam acidi vitriolici ex sublimatione generati, adhaerescere solet. Per se non solvitur sulphur ad experimenta in humoribus animalibus. Actio tamen sulphuris interne dati, virtus ejus

ecco-

eccoprotica, odor proprius, et in quibusdam hominibus vel ipsa ex transpiratione percipiendus, nos docent remedium hoc partim saltem in digestionis organis solvi. Interne sulphur purum exhiberi cum saccharo, et experientia duce in casibus haemorrhoidalibus molestioribus, junctum cum tartari crystallis, a scrupulo uno ad drachmae semissem potest. Flores sulphuris in scabiosis, quos remediis externis curare scopus erat, interne copiosi praescripti fuerunt, et quidem propterea, ut scabiei sic anteverteretur retropulsio. Certe scabies vera et simplex non est morbus humorum, sed solum cutaneus, qui a causa oritur externa, et vel cum sanissimo a socio scabioso communicatur. Hinc istiusmodi providentia videtur si non plane superflua, certe non absolute necessaria, saltem non in scabie recente, nec quando cutis hominis infecti nec a diuturnitate stimuli externi iam secretioni morbosae assueta est, nec materies morbosa alterius indolis, jam ante scabiosam infectionem occulte praesens, scabiei se consociavit, et malum mistum produxit. Olim etiam florum sulphuris erat usus in variis pectoris morbis, de quo nihil adeo constat, quod satisfacere posset. Externe contra scabiem sulphur praescribitur mistum cum axungia porcina; ubi

non

non opus est simul inungere magnum corporis tractum, quoniam sulphur, parvo duntaxat loco infrictum etiam in remotas superficiei partes agit.

XXX. Folia sennae.

Olim moris erat, sennam praescribere sine stipitibus (petiolis), quia praecise his, quae tormina saepe decoctum foliorum sennae sequuntur, attribuebantur. At vero sola coctio hujus plantae vel solorum etiam foliorum, malum illum effectum producit, qui ab simplici infuso, etiam solorum stipitum, haud metuendus est.

XXXI. Fructus prunorum.

Pruna in pharmacopoeis castrensibus praecipue asservantur ad conficiendam prunorum pulpam; possunt tamen non minus praescribi in decocto cum tartari crystallis in omni casu, quo decoctum tamarindorum alias dari solet. Hinc si adduntur sennae folia ad unam alteramve drachmam infundenda, remedium obtinetur purgans pro hominibus minus irritabilibus in morbis, ubi senna non contraindicatur.

XXXII. Fungus quercinus praeparatus.

XXXIII. Gummi ammoniacum.

Pharmacum utilissimum, quod tamen cum non sine stimulo quodam agit, in morbis pectoralibus inflammatoriis saepe in aegri damnum praescribitur. Datur plerumque in forma pillulari cum extracto solvente, et nonnunquam adhuc cum aequa parte saponis puri. Sub forma liquida potest cum vitello ovi subactum vel etiam, si exigit indicatio, in aceti aut oxymellis scillitici drachma una vel duabus solutum, cum admistis unciis septem vel octo aquae aut infusi florum sambuci, exhiberi, ut omni bihorio vel trihorio pro re nata cochlearia duo assumantur.

XXXIV. Gummi arabicum.

Purum hoc vilisque pretii gummi non tantum pro reliquis omnibus remediis mucilaginosis esse, sed etiam illius ope plura corpora resinosa, uti et camphora, in aqua solubilia reddi queunt.

XXXV. Gummiresina assa foetida.

Ex praestantissimis remediis unum in malis chronicis spasmodicis, quod etiam a quibusdam observatoribus adversus cariem ossium a causa interna laudatum fuit. Assa foetida vi pollet aperiente, et hinc utilis illis qui adstricta alvo laborare solent, simulque valde anthelmintica. Irritabilissimis tamen hominibus stimulantior est. Etiam in febribus nervosis inflammatoriis, deficiente plurimum vi vitali, cum utilitate in clysmatibus est adhibita. Datur a dimidia ad unam drachmam cum vitello ovi trita, in unciis circiter octo infusi florum chamomillae, quibus addi semiuncia syrupi simplicis solet, ut successive haec mixtura sumatur. Celebratur quoque actio prompta tincturae assae foetidae in malis hystericis spasmodicis. In clysmatibus dosis dupla hujus gummiresinae cum infuso chamomillae saepe maxime prodest. Facit autem ejus odor ingratus, ut aegri alia quam pilulari forma fastidire illam soleant. Tum aliunde facillime ex illa cum admistis extracto amaro et valeriana pulverata componi massa pilularis potest.

XXXVI. Herba absinthii.

Planta haec, imprimis succus ex illa expressus et depuratus, etiam apud vulgus ut remedium simplex bonumque adversus febres intermittentes, digestionem depravatam et vermes, notissima est; mereturque ob amarorem singularem, quo pollet tota, multam laudem. Interea in plantae exsiccatione magna aromatis pars perit, et nihil fere illa retinet quam amaritiem et saporem ingratum. Propterea ad conficiendum extractum amarum una cum duabus aliis plantis amaris conservata prae caeteris fuit.

XXXVII. Folia malvae.

Partibus mucilaginosis copiose praedita.

XXXVIII. Folia menthae crispae.

Loco hujus menthae susceptae sunt mentha piperitis et rubra sive aquatica; quod prior illa quam crispa efficacior est, et ad eliciendum oleum aethereum adhibetur; ultima haec crispae non cedit, et in nostris regionibus abundantius colligi potest. Utriusque autem defectu, etiam crispa adhiberi potest.

XXXIX. Folia salviae.

Aromatica haec planta cum mentha aquatica floribusque chamomillae et sambuci loco omnium reliquarum suaveolentium et per partes volatiles suas agentium plantarum, quibus alias cum interne tum externe uti solemus, esse potest. Infusum salviae laudatur contra sudores nimios in convalescentibus. Superant tamen remedia roborantia certiora, uti elixir vitrioli, cortex chinae, ferrum, vinum generosum, cibi nutrientes, aer purus et frigidulus, aliaque.

XL. Lapis infernalis.

Notissima hujus necessitas est.

XLI. Lichen islandicus.

Quamvis experimenta cum hoc remedio instituta in phthisi pulmonali, in qua praecipue commendatur, rarissime observatorum exspectationi omnino fecerunt satis, necesse tamen fuit, plantam mucilagine nutriente copiosa simulque vi aliqua leviter adstringente et roborante donatam servare tanto magis, utpote quae possit tam in phthisibus insanabilibus ad mitiganda symptomata et

ad

ad vitam aegri producendam conferre aliquid, quam in diarrhoeis diuturnis variis et emaciationibus, ab acri stimulo ortis, majori cum emolumento praescribi.

XLII. Limatura martis.

Ut remedium hoc actuosum praestet aliquid, oportet esse purum, in subtilissimum pulverem redactum et omnis rubiginis expers. Unde sequitur, nimiam hujus pulveris ferrei copiam esse nunquam parandam et servari in vasis bene clausis semper debere. Limatura martis optime datur ipsa in principio ad sex vel octo grana, mista cum eleosaccharo menthae vel cum extracto quodam amaro, quae successive augeri dosis ad scrupulum potest, imo vel ad drachmam usque semissem, bis vel ter singulis diebus.

XLIII. Liquor mineralis Hoffmanni.

Liquor hic praestantissimus loco plerarumque sic dictarum antispasmodicarum essentiarum tincturarumque inservit, si in florum chamomillae infuso exhibetur. In febribus nervosis aliisque malis, quae a virium vitalium debilitate et defectu ortum trahunt, utiliter miscetur cum decocto corticis

peru-

peruviani vel cum infuso valerianae, angelicae aut calami aromatici. Grato olere debet, nec acorem manifestare. Si inamoenum sulphureum odorem spirat, si paucae ejus guttae chartae coeruleae instillatae, maculam rubram aut fusco flavescentem in eadem relinquant, aut si aliquot grana salis tartari injecta in tantillam hujus liquoris copiam effervescentiam producunt, signum est, acidum vitrioli non esse perfecte edulcatum, nec licet in memoratis morbis liquore prius uti, quam a pharmacopoeo, peracta nova destillatione super sale tartari, magnesio, muriae magnesia similibusve fuerit emendatus. Dosis est guttarum decem ad viginti, ut tamen inter viginti quatuor horas possit ab una ad duas drachmas assumi.

XLIV. Manna.

Exoticum quidem, utile tamen remedium, quo in febribus aut quibusdam inflammationibus absque multo stimulo intestina evacuentur, et virium nimiopere elatarum imminuatur excessus. Interea pensari hoc remedium, carius ut est et ad duas tresve uncias demum actuosum, indigena prunorum pulpa, cum crystallis tartari commista, bene potest; in casibus autem illis, qui re-

medi

media tam leniter evacuantia non exigunt, et ubi propter spasmodicum viarum urinariarum statum non deterremur a salium auxilio, melius est magisque frugi, in hominibus minus irritabilibus salem amarum, multo viliorem magisque actuosum, vel foliorum sennae infusum conjunctum cum decocto prunorum et tartari crystallis danda curare.

XLV. Mel purum.

Mel per annorum millia occupabat locum sacchari serius cogniti, et hinc, nisi quae idiosyncrasia singularis obsit, longe anteponi meretur. Liquor ille gratus, solvens et eccoproticus ad edulcandas plerasque potiones et sic dictas ptisanas pectorales remedium optimum est, et in alvi adstrictionibus pertinacibus saepe solus juvat, cui tamen etiam sal medius facile solubilis apte addi potest. Nec minus clysmata mel ingreditur ubi leni irritatione intestini recti est opus.

XLVI. Mercurius dulcis.

Pharmacum hoc mercuriale, rite praeparatum, ex tutissimis unum est ad curandos morbos venereos. Quod culpetur de producenda diarrhoea aut salivatione, id adeo nihil

hil est; nam prima accidit aut ex nimia dosi data, aut potest opiato addito praeverti; altera autem sic fere in omnibus reliquis medicamentis mercurialibus locum habet, et licet inter haec aliud saepe prae alio meliora praestet, atque hinc semper bonum sit, plura illa habere ad manus, ut ad omnem eventum simus parati; certissimum tamen est, in praxi castrensi turbulenta et ad casus vulgares, usum mercurii dulcis paucioribus esse sollicitudinibus expositum quam acriorum salium calciumque mercurialium. Propter insolubilitatem suam in aqua mercurius dulcis in injectionibus in urethram raro tam aptus est, quam mercurius sublimatus corrosivus in minutissima dosi; quamvis in universum medicamentum mercuriale, solum externe et per injectiones applicatum, non videatur ullum contra malum venereum topicum vim specificam ullam exserere. Mercurius dulcis non in solidis frustis crystallinis, sed in pulverem subtilem, aqua fervida edulcandum, tritus transmittendus est. Cum aqua calcis recente in mortario vitreo tritus dat praecipitatum nigrum; quod si coloris aurantiaci est, indicat, non satis fuisse mercurium edulcatum, adeoque ejus usum esse periculosum. Tentamina alia, equidem certiora ad solum chemicum spectant, cujus offi-

officium erit, in praeparatione hujus remedii omnem, quam possit, curam adhibere. Quamvis mercurius dulcis, dosi largiuscula datus, remedium sit purgans; ad hunc tamen scopum longe tutiora alia possidemus. Ceu medicamentum solvens et alterans, cum aliis rebus conjunctus, praecipue cum sulphure antimonii aurato et parca magnesia, a dimidio ad unum granum semel bisve intra diem apte exhibetur. In malis venereis dosis mercurii dulcis, pro varia sua in glandulas salivales vel stomachicas actione, a duobus ad quatuor grana est, donec tandem signa instantis salivationis appareant. Vix est admonitione opus, in scorbuticis corporibus, nec hoc nec aliud praeparatum mercuriale ullum, tuto dari, antequam scorbutus ipse sit sanatus. Ut purgantia caetera sic etiam mercurius dulcis, quando in hunc finem fortiore dosi praescribitur, vermium expellendorum virtute pollet, cui tunc saepe radix jalapae additur. Dosibus vero mercurii dulcis minutis aeque pertinaciter vermes resistunt quam aliis purgantibus.

XLVII. Mercurius praecipitatus ruber.

Inter praecipua et certissima remedia est, imprimis in curandis ulceribus vetustis,

lar-

lardosis, una cum methodo Unterwoodiana. Nec tamen medicamentum mercuriale hoc externum ulla specifica virtute sanat mala topica recentia naturae venereae, sed videtur potius in casu, quo nondum contagium venereum ad interiora penetravit, aliorum causticorum more, sola destructione superficiei ulceris agere, et hinc absorptionem veneni interdum adhuc in tempore antevertere.

XLVIII. Mercurius vivus.

Tam ad confectionem praeparatorum chemicorum mercurialium, de quibus supra dictum est, quam etiam ipse per se in mistione mercuriali gummosa et unguento neapolitano in usum trahitur. Mercurius crudus, per coctionem in aqua, cum hac, in quantum experimenta docent, nihil de partibus suis constitutivis communicat, quantum vis haec aqua interne exhibita contra vermes in infantibus laudata a multis fuerit. Saepissime tamen visa inefficax est; cumque vermes in infantibus etiam vel sponte excerni soleant, non potest de hac aqua cum certitudine quidquam pronuntiari. Quoniam mercurius crudus vulgaris saepe heterogeneis corporibus inquinatus imo vel plumbo adulteratus est, ante usum, imprimis internum,

destil-

destillatione depuretur. At vero ab hoc labore et dispendio planissime eximimur, cum mercurius in provinciis austriacis, maxima in copia purissimus ab aerario acquiri possit.

XLIX. Moschus.

Carissimi quidem pretii remedium, sed in febribus nervosis validis aliisque id genus malis saepe omnino necessarium. Ibi quidem, praecipue in magna virium vitalium prostratione, subsultibus tendinum, motibus convulsivis, deliriis, urina pallida cum pulsu celerrimo parvo simulque duro, indicatur; et praescribitur vel in pulvere cum sacchari pauxillo, vel sub forma boli cum roob sambuci, juniperi, vel mistus cum medicaminibus liquidis, omni bihorio vel trihorio ab unico ad quatuor vel sex grana. Cum tamen semuncia moschi septem vel octo florenis veneat, facile unusquisque intelliget, tam carum remedium cum summa esse parsimonia administrandum, nec praescribendum, nisi quando vera sic jubet necessitas. Medici practici experientia edocti sunt, assam foetidam cum moscho conjunctam posse in febribus nervosis cum utilitate et lucro dari, nec moschi virtutem inde debilitari. In rabie, quae morsum canis hydrophobi

aliorumque animalium sequitur, moschus quidem maxime laudabatur; sed per experimenta recentiora evictum est, vel fortissima dosi nihil illum hic profuisse. Adversus epilepsiam nonnunquam meliora praestitit; sed etiam haec res a causa morbi praecipue pendet.

L. Nitrum purum.

Uti in universum omnes sales neutri et medii in actione sua pertinent ad remedia debilitantia, et vel alvum movent, vel saltem notabiliter urinam, sic etiam nitrum in morbis, qui medicamenta debilitantia postulant, imprimis in febribus inflammatoriis, dari solet cum decocto hordei aut aqua pura cum vel sine oxymelle simplici. Dosis nitri est ab uno scrupulo ad duos vel etiam ad usque unam drachmam. Pauci homines majorem dosin ferunt; et ab hac interdum ortos validissimos ventriculi dolores vidimus.

LI. Oleum destillatum anisi.

Oleum indigena actuosum et parvo pretio parandum; quod cum oleo baccarum juniperi et menthae piperitidis, cetera olea perfec-

perfectissime supplet. His tamen adjungendum insuper venit:

LII. Oleum destillatum terebinthinae.

Oleum hoc etiam indigena posset solum facile compensare magnum numerum balsamorum exoticorum, nisi tandem esset evictum, haec pharmaca nimis sane frequenter, praecipue in tendinum laesionibus, absque omni indicatione fundata et in aegrorum detrimentum adhibita fuisse. Interea tamen casus occurrunt, ubi oleum hoc penetrantissimum in unguentis cum emolumento externum in usum vocari queat. Ad internum vero utplurimum nimio gaudet stimulo, ejusdemque cum vitrioli aethere conjuncti utilitas contra renum calculos confirmata non est, aut certe mistionis hujus effectus maximam partem attribui aetheri vitriolico debebat.

LIII. Oleum expressum lini.

In certis duntaxat provinciis oleum hoc copiosum bonumque prostat. In aliis est oleum raphani. In quibusdam illud papaveris albi in majore perfectione et abundantia

obtinetur. Videantur, quae super illis Num. XCIII. sectionis primae dicuntur.

LIV. Oleum expressum olivarum.

Semper in posterum in pharmacopoeis castrensibus oleum olivarum purum optimaeque notae in promptu erit, quo medici pro usu interno utantur illis in casibus, in quibus oleum indigena bonum aegris suis non adeo convenire videretur.

LV. Opium purum.

Remedium praestantissimum et efficacissimum, sed ob hoc ipsum a peritis duntaxat et prudentibus medicis rite determinandum; cujus singulari bonitati in pharmacopoeis castrensibus quam curatissime invigilandum est. Utplurimum opium datur optime per se solum; quia omnes sic dictae opii correctiones vanis nituntur hypothesibus, nec eget illud, ubi vere indicatur, ulla correctione. Non est hujus loci, has indicationes singulas exponere, et sola adnotatio, in veris inflammatoriis, et generatim ubi vis vitalis modum excedit, opium plerumque aegris multam noxam adferre, hic sufficiat. Caeterum hujus remedii definire do-

dosim certam, difficile est, quod valde hanc diversam exigunt et consuetudo aegri et morbi temperandi violentia. Primae doses pro adultis et in malis non urgentibus ad unam tertiam vel ad dimidiam grani partem ut plurimum satisfaciunt; quae minutae doses commode exhibentur, si unum opii granum cum una drachma sacchari terendum, et pulvis exacte mistus in duas tresve portiones dividendus praescribitur. In casu autem urgente, aut posteaquam aeger jam opio assuevit, potest medicus intelligens prudensque successive ad doses multo majores adscendere. Caeterum nemo solis aegrorum custodibus in opii exhibitione fidat; sicuti etiam ex officio medici est diligentissima observatio effectuum remedii hujus heroici, ut inde ad ulteriorem ejus usum concludat. De diversis opiatis compositis suo loco agetur.

LVI. Oxymel simplex.

Antiquum bonumque hoc remedium paratur, dum duae partes mellis commiscentur cum una parte aceti ex tempore. Hinc medici castrenses deinceps mel et acetum seorsim accipient.

LVII. Oxymel scilliticum.

In eadem proportione mellis ad acetum scilliticum conficitur. Notandum hic est, ab oxymelle scillitico, utut in variis morbis agere praestanter solet, multiplicem noxam esse metuendam, quando in vanum finem, ut expectoratio muci pulmonalis promoveatur, in quibuscunque pectoris morbis, et vel in inflammatoriis ipsis, praescribitur. Mucus puriformis, qui sub his circumstantiis in bronchiis accumulatur, effectus est, nec causa morbi, et si haec naturae est vere inflammatoriae, nec poterit oxymel scilliticum nec kermes minerale aut sulphur antimonii auratum, nec aliud remedium stimulans ullum, accumulationi materiei tenacis in pulmonibus imponere terminum. Quin potius venae sectiones et uno verbo methodus antiphlogistica sunt hic expectorans optimum, vel verius remedium certissimum, quo morbosa secretio in bronchiis quam citissime sistatur.

LVIII. Pulpa prunorum.

De hac Num. XXXI. jam dictum est.

LIX. Radix althaeae.

Haec radix partibus mucilaginosis ditissima est, ut sola per se, in aqua cocta, sufficiat, si fibrae nimis rigidae sint emolliendae, earundem irritabilitas sic minuenda, gluten nativum restituendum, et vel ipsa stimuli causa, si ab acrimonia penderet, aliquo modo compescenda aut involvenda.

LX. Radix angelicae.

Radix haec indigena principiis stimulantibus et reficientibus tota scatet. In febribus igitur nervosis, et generatim in debilitate, segnitie et remissa irritabilitate fibrarum, eodem cum emolumento ac radix serpentariae virginianae aut senega praescribitur. Datur aut in infuso aquoso a duabus ad quatuor drachmas in una libra aquae, aut, si casus urgeat, melius in vino bono. Nec minus utiliter decocto chinae sub finem decoctionis additur.

LXI. Radix bardanae.

Radix parvi pretii, ubique obvia, et jam diu ceu remedium sanguinem purificans notissima. Quae tamen denomi-

na-

natio valde est vaga, nititurque maxime positionibus arbitrariis, quae, causis morborum curate perspectis, raro sese sustinent. Et si detur, in massam humorum acrimonias tam multiplices deponi, quam a pathologis veteribus sine omni saepe fundamento credebantur, non tamen tam diversae humorum degenerationes unicuique sic dicto purificanti medicamento cedent, uti nec virus venereum ab illorum ullo destruitur, sed solo debellatur mercurio. Hoc monitum propterea hic factum in genere putetur, ut medici castrenses juniores adversus caecam in solo ullius remedii titulo fiduciam et mere empiricam medendi rationem sese praemuniant. Docent interea nos sapor radicis bardanae amarus et dulcis, ejus partes glutinosae, et ipsa ejus in urina copiosius secernenda virtus, posse illam in malis rheumaticis, arthriticis, scrophulosis, tum etiam in variis morbis cutaneis chronicis, adhucdum non minori jure praescribi, quam praescripta radix sarsaparillae carior et exotica fuit; idque tam diu, donec meliora contra quemlibet peculiarem stimulum specifice agentia remedia nobis innotescant.

LXII.

LXII. Radix calami aromatici.

Pharmacum hoc aromaticum ferme vires easdem possidet atque jam laudata angelica. Contra scorbutum quam maxime commendatur, et quoad hic a debilitate pendet imprimis, aut saltem hanc producit, utilis esse radix poterit. Ob proprietatem suam modice stimulantem aptissimum quoque est remedium in digestionis actione debilitata, et datur vel in pulvere ab uno scrupulo ad drachmae semissem, aut in vino macerata in quantitate dupla.

LXIII. Radix enulae.

Remedium amarum, aromaticum, et tamen una parum mucilaginosum; in digestione debili, in vermibus, et in universum in morbis, a debilitate et irritabilitate imminuta ortis, utile. Ejusdem decoctum, vel etiam paratum ex succo ejus aut decocto saturato et ex axungia porci unguentum in scabie, imprimis in sicca, cum bono effectu externe adhibitum fuit.

LXIV. Radix gentianae.

Ex praestantissimis remediis amaris. Ubi indi-

indicatur, in pulvere exhibetur ab uno scrupulo ad dimidiam drachmam. Ingreditur extractum amarum, de quo Num. L. primae sectionis sermo fuit, aut potest etiam sola huic extracto parando inservire.

LXV. Radix graminis.

Inter medicamenta solventia praecipua numerari meretur, si recens est. Exsiccata etiam praebet extracti libras viginti in centumpondio; ut vel in hoc statu virtute multa superstite polleat. Cum radicibus cichorei et taraxaci quidem eadem illi proprietas est; sed paulo his mitius operatur, ut queat etiam in motibus febrilibus praescribi. Caeterum in maxima copia et vili praetio obtinetur.

LXVI. Radix jalapae.

Exotica quidem, sed radix praestantissima, quae sine stimulo minus vehementi intestina evacuat, et in hominibus, ubi nulla febris, omnium autem minime diathesis inflammatoria adest, tutissime a drachmae semisse ad duos scrupulos vel integram drachmam dari potest. Resina ex radice jalapae extracta remedium est drasticum:

ex-

extractum vero ejusdem aquosum, quod eodem labore et fere sine novo sumtu obtinetur, leniter aperit et evacuat. Ut autem de hujus extracti aquosi definita efficacia judicium ferri aequum ejusdemque dosis determinari posset, radicem oporteret ante decoctionem eousque in alcohole digeri et extrahi, donec omnino nihil ultra in eo solveretur. Cum hoc fieri non soleat, propterea tanta efficaciae diversitas deprehenditur. Exhibetur hoc extractum a dimidia ad integram drachmam, solutum in quodam liquido. Pulveri jalapae plerumque sal neuter adjicitur, et si vermes latere credantur, seminum cinae portio aliqua, ubi tunc uniuscujusque drachma dimidia sufficit. Resinam ante cum amygdalis bene teri, aut in olei destillati anisi guttis aliquot solvi oportet, ut actio ejus in ventriculum et intestina nimis vehemens praevertatur.

LXVII. Radix ipecacuanhae.

Notissima est exoticae hujus radicis vis vomitoria. Quae olim ipsi attribuebatur contra dysenteriam virtus specifica, certe destituitur. Quibusdam tamen in casibus praestantior est tartaro emetico, quantumvis caeterum efficacia et agendi celeritate, imprimis

ubi

ubi muco ventriculus obruitur, eodem longe inferior sit. Nimirum in hominibus irritabilissimis tutior est tartaro emetico; et quando diarrhoea jam adest, vomitum indicatum melius ciet quam tartarus ille, qui tunc absque omni vomitu diarrhoeam potius augere solet. Prouti generatim vomitoria, dosi refracta exhibita, optato gaudent successu in malis, quae levi systematis nervosi irritatione tolli sueverunt, ita etiam idem saepe praestat ipecacuanha, ab uno ad sesquigranum cum saccharo aut aliter bis terve in die data, et sic in asthmate periodico, haemorrhagiis ab inertia vasorum ortis, imo diarrhoeis ipsis ab hac causa productis, non raro utilissimam se praebet. Cum opio mista sistit, uti notum est, pulverem Doweri. In quibusdam hominibus, et ubi jam adest in vomitum proclivitas, hunc quidem excitat per pauca grana; sed, quando sola datur, communiter demum agit in dosi granorum viginti ad octo et viginti. In aegris robustis nec nimis irritabilibus, in ventriculo mucoso atque hinc minus sensili, et diarhoea absente, unum granum tartari emetici cum granis viginti radicis ipecacuanhae commode conjungitur.

Hujus est loci admonere de abusu illo vomitoriorum et purgantium, hodie fere generaliter introducto. Nisi genius morbi epidemicus, causae praegressae, et aegrorum sanitati restitutorum successus, naturam mali gastricam jam inde demonstraverint, omnium sic dictorum gastricorum signorum nullum est, quod solum etunicum per se talem adferat certitudinem, qua liceat remediis tam valide agentibus uti sine summa prudentia. Lingua mucosa et impura saepe effectus est solius inertiae organorum digestionis. Imo videre est homines, aliunde sanissimos, quibus lingua nunquam omnino est pura. Plurimae febres, quae certissime nec saburram abdominalem, nec bilis redundantiam aut corruptionem, pro causa agnoscunt, talem in lingua mutationem efficiunt. Aeque non sufficiens interdum est amaror oris per se solus, qui in hominibus debilibus saepissime exigit, non emeticum aut purgans, sed roborantia. In accessibus febrium intermittentium simplicissimarum os saepe amarissimum est, et esse desinit, simul atque stimulus febrilis transiit. Proclivitatem in vomitum, nauseam, ructus, ipsum vomitum, notum est, a plurimis causis originem trahere, quas emeticum non tollet, quin potius saepissime exasperet, imo non-

nonnunquam lethales reddat. Quando in peripneumoniis validis per irritationis consensum nausea pertinax vel vomitio repetita imo biliosa exoriebatur, non raro medici imprudentes et inexperti fuerunt inducti, ut emeticum porrigerent lethale. Idem in aliorum viscerum inflammationibus, imprimis ventriculi, intestinorum, hepatis, renum, vesicae urinariae, et uteri accidere potest; et scimus, quoties in capitis vulneribus herniisque, imo sola ex navigatione in mari et a graviditate, omnia illa signa gastrica, et vel ipse vomitus biliosus frequens, occurrant, quae nec propterea saburram gastricam ceu morbi causam proximam indicent.

LXVIII. Radix liquiritae.

Remedium partibus mucilaginosis et saccharinis pluribus refertum, quod in sic dictis decoctis pectoralibus contra stimulos, febrim et inflammationem excitantes, utilissime adhibetur, simulque potum gratiorem reddit, Coctio protracta huic radici saporem subamarum ingratumque facile tribuit. Una ejus drachma sufficit edulcandis duabus aquae libris, et hunc in finem ad edulcationem aliarum potionum medicinalium infusum ad-

adhibetur. Ejusdem extractum, modo ne sit empyreumaticum aut cupro infectum, eadem virtute pollet, et in misturis vel pilulis ad unam vel sesquidrachmam praescribitur.

LXIX. Radix rhabarbari.

Hujus praestantia et actio cognitae sunt. Pauca possidemus purgantia, quae hujus adinstar simul roborant, et tam aperte in urinam agunt. Coctione pars rhabarbari notabilis perditur, et propterea jam extractum ejus expunctum fuit. Scopo purgandi praescribitur in pulvere a dimidia drachma ad duos scrupulos, utplurimum cum aequa portione salis neutrius vel medii. Infusum rhei aquosum in dosi parciore non raro diarrhoeam a debilitate minuit. In malis inflammatoriis, et etiam in morbis a stimulo in viis urinariis pendentibus, rheum damnosum est; sicuti non minus esse in principio plerarumque dysenteriarum solet.

LXX. Radix salep.

Multo est mucilaginosior et hinc tanto etiam praestabilior radice althaeae, adeo ut sola sufficeret pro decoctis emollientibus, nisi

nisi tam frequens horum remediorum usus plura redderet necessaria, ut ne unius praetium nimiopere augeatur.

LXXI. Radix valerianae.

Non solum in longa debilitate nervorum, spasmis, epilepsia et vermibus, sed vel in ipsis febribus nervosis acutis, et in sic dictis febribus putridis, hoc remedium ex optimis unum est, et radicum angelicae atque calami aromatici adinstar radicem serpentariae et seneka apte pensabit. In pulvere, qui autem non diu ante confectus aut negligenter asservatus sit, datur ab uno scrupulo ad drachmam unam, semel vel bis intra diem, in infuso quodam cum aqua fervida, aut in decocto chinae ex duabus quatuorve drachmis corticis ad unam libram aquae.

LXXII. Resina jalapae.

Vide supra Num. LXVI.

LXXIII. Roob juniperi.

Videatur supra num. X. Meretur adhiberi praeprimis in ascite et tympanite a debilitate ortis.

LXXIV. Roob sambuci.

Succus baccarum expressus acidulus. Si ab inspissatione super igne, quod facile obtinet, empyrema contrahit, proprietatem stimulantem nocivam adipiscitur. A dimidia ad sescunciam praescribitur, optime in infuso florum sambuci, cui saepe spiritus Mindereri, interdum quoque una alterave drachma vini antimoniati adjicitur. Sub forma electuarii cum crystallis tartari junctum convenit in hydrope. At vero cum roob sambuci et crystallis tartaris in nosocomiis militaribus scabiem veram curare velle, (uti hoc per annorum seriem, certe non ex propria persuasione medicorum castrensium, sed solum ad imperium unius scientificum fieri jubebatur) et aegris et aerario nimis nocet, quam ut tantum modo ridiculum videri possit, si iste abusus diutius locum haberet.

LXXV. Saccharum.

LXXVI. Sal amarus.

Sal purgans, lenis, parvi pretii, et simul indigena, ab una ad sesquialteram, et ab hominibus minus mobilibus vel ad duas uncias assumendus. In ardore urinae aliis-

 que

que irritationibus viarum urinariarum tam hic quam sal omnis alius nocet.

LXXVII. Sal ammoniacus.

Hic sal solventissimus prae aliis salibus in eo excellit, quod non ita alvum moveat, quin potius diarrhoeam symptomaticam non raro mitiget. In febribus pituitosis et intermittentibus singulariter utilis est, et solus saepe has ultimas fugavit. Vel sola haec observatio, tum etiam sapor salis acer, tam frequentem ejus usum in febribus inflammatoriis restringere debuissent. Nimis forti dosi, nisi bene dilutus sit, ventriculi ardorem facit. Praescribitur a viginti ad triginta grana, omni trihorio vel quadrihorio in sufficiente liquido capienda.

LXXVIII. Sal Glauberi.

Utilis et parvi pretii. A duabus ad tres drachmas in septem vel octo aquae unciis solutus, unaque mellis uncia edulcatus, facit misturam optimam solventem in febribus pituitosis et biliosis, ad unam unciam omni bihorio sumendam. Ad purgandum crystallisatus praescribitur a dimidia ad sescunciam. Posteaquam in pulverem jam dilapsus est, sufficit

ficit dimidia dosis. In universum adnotari meretur, usum salium diuturnum hominibus debilibus valde noxium esse solere, et praeternaturalem intestinorum sensibilitatem post se relinquere, quae diversorum esse malorum causa potest.

LXXIX. Sal tartari.

Sal acer et ad plures operationes pharmaceuticas necessarius. Raro per se praescribitur solus, vel ad pellendam urinam, vel ad domandum acidum in primis viis obvium, quare etiam in rhachitide commendatus est. Semper autem in aquae sufficiente copia solutum esse oportet, nec facile ultra grana octo vel decem successive exhiberi. In motibus febrilibus et in ardore urinae ab illo omnino abstinendum est. Si ejus grana viginti injiciuntur in cochleare plenum aceto bono vel succo citri, et haec mistura assumitur durante fermentatione, optimum praebet remedium ad mitigandum vomitum, a mera nervorum ventriculi irritatione nec ab inflammatione ortum. Cum sales alcalini fixi vegetabiles sint sibi omnes simillimi, quocunque tali sale ex plantarum cineribus extracto puro in eundem scopum uti licet. Quoniam vero cineres clavellati venales nunc

 ple-

plerumque aliis rebus sunt adulterati, nec est ratione pretii notabile discrimen inter salem alcalinum ex cineribus illis et inter illum ex usto tartaro extractum, quum tartarum figuli vilissime urant, sal tartari praelatus fuit.

LXXX. Squilla marina recens integra.

E potentissimis diureticis, sed simul stimulantissimum remedium, quod idcirco in hydropibus, quos febris valida et obstructiones pertinaces concomitantur, praescribi non licet. Paratur inde *Acetum squilliticum*, et ex hoc cum melle *Oxymel squilliticum*. Dosi tantisper fortiore squilla recens vomitum ciet vehementem, et interdum venenatos effectus edit. Potest tamen pulpa scillae recens in septem vel octo unciis emulsi ammoniacalis cum pauco saccharo addito a dimidio ad integrum scrupulum successive exhiberi in hydropibus a debilitate productis, et ubi febris nulla est. Utplurimum tamen pulpa scillae sub forma pilulari cum gummi ammoniaco et aromate aliquo, uti radice calami aromatici pulverata, singulorum portione aequa, sic datur, ut aeger mane et vespera a sex ad quindecim vel viginti grana de massa assumat. Potest etiam scilla in vino bo-

bono clavellis cinnamomi aut cum calami aromatici radice macerari, ut sic fiat vinum squilliticum.

LXXXI. Squilla praeparata.

Si sqammae interiores crassiores scillae pro more, nec tamen nimiopere, in clibano coquuntur, praebent bonum remedium diureticum, non tam violente agens ac pulpa recens. Ab uno ad sesquigranum bis terve intra diem datur cum saccharo aut cum salis neutrius uno scrupulo.

LXXXII. Semen anisi vulgaris.

Vires horum seminum continentur in oleo aethereo (Num. I.)

LXXXIII. Semen foeniculi.

Ejusdem fere virtutis.

LXXXIV. Semen sabadillae.

Solet tantum externe contra pediculos in usum trahi. Si una cum his insectis achores adsint, istius modi remedia acria agunt nimis fortiter, et erysipelas saepe molestum gene-

generant. Interne haec semina plerumque violente nec tuto operantur, licet a perita manu et prudenter adhibita adversus vermes et vel ipsam taeniam successu non caruerint.

LXXXV. Semina santonici.

Remedium contra lumbricos imprimis probatum. Raro autem in adultis per se sola tam bonos effectus edunt, quam conjuncta cum radicis jalapae aut salis neutrius parte aequali; cujus pulveris compositi quotidie bis terve, prout diversimode agit, dimidia datur drachma, aut cum melle in forma electuarii.

LXXXVI. Spiritus vini rectificatus.

Usus notissimi tam ad operationes pharmaceuticas quam in chirurgia. Defatigatos ab itinere milites potus aquae cum uno alterove cochleari hujus spiritus cumque parva dosi salis tartari essentialis cito recreat.

LXXXVII. Spiritus vitrioli.

Hoc etiam acidum, si tantum aquae additur, donec haec saporem gratum acquirit, et

et tunc insuper cochleare spiritu vini plenum parumque aceti adfunduntur, praebet potum optimum militi ab aestu magno in itineribus jam fere in aegritudinem delabenti. Hic spiritus vitrioli, quo nomine hucusque improprie appellatus est, multa etiam aqua dilutus et tantillum edulcatus, in febribus acutis biliosis, inque illis, quae putridae vocantur, praescribitur; quia ab hoc spiritu spes erat fore, ut putredo humorum metuenda bilisque acrimonia optime corrigerentur. Quoquo modo haec se res habeat, certum manet, valde magnam hujus aceti mineralis copiam homini non convenire, multaque post se mala trahere. Ubi irritabilitas et vires vitales in febribus nervosis notabiliter jam imminutae sunt, ibi hoc acidum noxam adfert apertam.

LXXXVIII. Succus liquiritae inspissatus.

Extractum potiûs est; de quo Num. LXVIII. jam actum est.

LXXXIX. Terebinthina.

Est remedium irritans, cujus caeterum ope balsamicis exoticis facile caremus. Ingreditur unguentum digestivum. Vitello ovi so-

soluta in clysmatibus utiliter adhibetur contra alvi adstrictiones pertinaces, quando remedium irritans indicatur. Interne data calefacit maxime agitque praecipue in vias urinarias. Urinam ipsam odore inficit singulari, qualis violarum est. Hominibus minus irritabilibus in malis nephriticis sabulosis, dosi modica praescribi potest. In doloribus a calculo manifeste nocet; sicuti etiam in medorrhoeis recentibus et ulceribus internis cum damno datur.

XC. Unguentum mercuriale,

Unguentum hoc, recte et curate paratum, est ex optimis remediis contra luem veneream. Imo in variis paralysibus, in hepatitide chronica mercurius sub hac forma saepe cum magno emolumento est adhibitus. Notum est, plures medicos etiam hoc unguento vulnera, a canibus rabidis inflicta, curasse inungendo; ubi tamen cita superficiei talis vulneris destructio non est omittenda. Contra pediculos inguinales parca hujus unguenti portio pubi infectae affricetur, ut brevi insecta pereant. Unguento huic axungia bovilla admista est, ne tempestate aestuante liquescat. Non est necesse, in morbis venereis inunctionem ad horas protrahi.

XCI. Vitriolum album.

Nunc solum ad usum externum adhibetur magnique sic momenti remedium est. Contra validas haemorrhagias, imprimis uteri, vitriolum album ad unam vel sesquidrachmam in una aquae libra solutum externe imponitur, aut injicitur. In ophthalmiis diuturnis cum debilitate conjunctis granum unum illius in aquae una uncia solutum saepe levamen adfert. In medorrhoeis chronicis et in fluore albo chronico eadem solutio, pro circumstantiis acuenda, injectionis sub forma interdum utilis visa est. Etiam unguentis admistum prodest saepe in malis cutaneis pertinacibus, nisi sint ex causis internis aut diuturnis enata.

XCII. Vitriolum martis artefactum.

Vitriolum ferri, in pharmacopoeis non de industria factum, ob admistas cupri particulas usui interno ineptum et periculosum est. Arte autem praeparatum est remedium ferri bonum et efficax. Majore pollet vi adstringente quam caetera ferri praeparata, atque hinc in canali intestinorum relaxato, contra vermes, imo in ipsis haemorrhagiis internis a vasorum inertia productis, remedium

dium est praestans. Commodissime datur, in formam pilularum cum extracto amaro aut corticis peruviani redactum, quotidie a sex granis ad duodecim; etiam successive aucta dosi exhibendum.

SEC-

SECTIO TERTIA.

De medicamentis, quae in pharmacopoeas castrenses caesareas recenter recepta sunt.

Inter medicamenta, quae in generalem exercituum usum recenter recepta sunt, numerantur partim illa, quae licet jam diu a peritis medicis et chirurgisbono cum successu praescriberentur, nihilominus in adornando veteri medicamentorum catalogo aut superflua credebantur aut inertia; partim alia, quae nostris demum temporibus, per experimenta prospere cedentia et repetita sese efficacia et in variis morbis utilia probaverunt. Respectu horum posteriorum praemonitio necessaria est, qua priora non egent.

Scilicet unicuique saeculo sua sunt medicamenta, quibus in primis faveat; et propen-

pensio, qua ferimur ad detegendas res novas tam est universa, et via, quae nos per nova medicamenta ad celebritatem evehat, tam facilis, ut admirari non sit necesse, undique, saepe vel ex ipsis veterum scriptis mutuata, nova remedia proponi, aut etiam observationes felicissimas centuriatim effingi. Infausto mortalibus omine, experimenta toties irrita nos cautiores non reddunt, et multi medici celebritatis suae partem in eo ponunt, ut aegros suos nova methodo tractent, et qualecunque remedium recentissime indicatum aut laudatum venentur; etiamsi post breve tempus celebritas inventoris ceu fumus evanescat, et practicus imitator, plerumque in damnum aegrorum suorum deceptum se sentiat. Nec hodie praeclusa via ad detegendas res utiles ulli est; quin potius gaudeat aetas nostra inventis quibusdam gravissimis, quae omnem laudem merentur. At vero, utut parum hoc ad decus medicinae theoreticae faciat, ultro fatendum est, ex medicaminibus praecipue efficacibus pleraque, non adeo medicorum eruditorum altiori indagini, sed magis casui et experientiae empiricae, quod existant, acceptum referre debere. Cum autem felix ille casus fortuitus certe non sit res quotidiana; spectata vero remedia seriem experimentorum vere uti-

lium

lium supponant, quae prius per exquisita tentamina a medico, ad regulas rationis medente, probanda et determinate applicanda sint; quisque facile intelligit, quam caute circa remedia recenter commendata procedendum sit, ut ne vetus illa reprehensio, ac si experimenta per hominum pericula faciamus, ultro sic fundata sit, uti quidem nostris praecipue temporibus non uno modo fuisse videtur.

Utinam tandem dubitatio dirempta omnis foret, naturam non modo in conservando statu sano viam ingredi simplicissimam, totamque machinam paucis organis in motu suo continere, sed in morbis etiam, qui non a mala organorum constitutione ipsa pendent, eandem simplicitatem eundemque ordinem existere; ut adeo ad morbos sanandos, non vana remediorum specificorum investigatio, sed accurata determinatio aberrationis praesentis a statu naturali, medici intelligentis officium sit primarium. Non itaque hic ad remedia multa plurimumque ab invicem discrepantia recurrendum est, sed ad pauca, circumstantiis praecise convenientia, ut, dum tolluntur, quoad fieri possit, morborum causae forte cognitae, vel mitigentur machinae irritabilis violenti nimis

mis motus, vel sucurratur virium vitalium labentium defectui; utque adeo parvo medicaminum numero, quae utrique huic gravissimae et principi indicationi quam maxime faciunt satis, totum medendi negotium absolvatur. Quamdiu scientia medica versabatur in cunabulis, omnino secundum naturam erat, numerum instrumentorum, quae ad medendum requirebantur, majorem esse debuisse, et novam quamque inventionem fuisse pluris aestimatam. At vero a quo haec scientia ad perfectionem magis accedit, certe non ultra ad multitudinem et novitatem remediorum tantopere respiciendum esset quam ad finem, qui in applicandis hisce rebus sit, et ad modum quo agant, et in actione sua dirigi queant.

De his cum ita compertum habeamus, considerando tamen, non fuisse rerum conditionem et circumstantias immutationi momentariae accommodatas, plura in nova hac pharmacopoea militari medicamenta retenta fuerunt, quam quidem medico vere erudito necessaria videri possent. Sed numerus saltem remediorum praecise novorum magnopere auctus non fuit. Non quod dubitatum sit de possibilitate inventionum bonarum et de utilitate tentaminum prudenter in-

institutorum ad curandos remediis novis morbos pertinaces; verum quia hinc videbatur istiusmodi duntaxat remediis, quae testimonium excellentiae suae per longam annorum seriem meruerant, hic locus solemnis dari posse; inde etiam praevideri certo poterat, in praxi castrensi turbulenta viris industriis ad experimenta accurata cum novis remediis facienda nec otium suppetere, nec dari occasionem, minus autem expertis medicis et chirurgis negotium tantae prudentiae et consilii sine periculo militum, reipublicae adeo aestimabilium, committi non posse. Interea hoc curabitur, ut in clinicis Academiae institutionibus, quae innotescant quotannis inventa nova, virorum prudentium contemplationi subjiciantur, per tentamina cauta et bona fide facta probentur, et si haec exspectationi respondeant, solita via et pro meritis in pharmacopoeas castrenses inque medicaminum catalogos introducantur. Istiusmodi enim catalogus non est tantae diuturnitatis et perfectionis, ut non illi post annorum aliquot intercapedinem addenda essent quaedam, quae per experientiam longiorem magisque multiplicem ad generaliorem usum essent maturata, vel ex adverso demenda alia, quae minus actuosa sese praestitissent. In castris inter milites alioquin

plu-

plura medicamenta, alias licet bona, usui venire nequeunt. Agitur ibi cum singulari hominum genere, quibus utplurimum proprii sui sunt morbi, aut sicubi hic illic per morbos chronicos forte exceptio habet locum, plerumque horum morborum cura in ipsis nosocomiis castrensibus in longius trahi non potest, quia tunc aegroti ad officium militare omnino solent esse inhabiles. Qui strumis pertinacibus, epilepsia, paralysi, surditate et caecitate laborant, aliunde aut in nosocomia praesidiorum, siqua spes medelae superest, aut in hospitia invalidorum transferuntur.

Etiam in hoc elencho medicaminum recenter receptorum ordo alphabeticus observatur.

I. Acetum squilliticum.

Probabiliter a principio acetum cum scilla conjungebatur, quia spes erat fore, ut sic acrimonia et vehementia hujus mitigaretur ab illo. Sed quidquid sit, manet semper acetum squilliticum remedium efficacissimum et utile. In catalogo medicamentorum antiquo non continetur, quoniam cum melle jam mistum ceu oxymel squilliticum ad ex-

erci-

ercitus deportabatur. Hodie acetum squilliticum et mel singula seorsim transmittuntur, ut oxymel inde ex tempore paretur. Interdum medici aceto squillitico utuntur ad solvendum gummi ammoniacum contra asthma pituitosum et hydropes. Plures chirurgi hanc solutionem adhibent forma cataplasmatis in tumoribus, qui stimulo quodam egent, ut resolvantur, vel etiam in suppurationem abeant.

II. Acidum essentiale tartari.

Quod possideamus purum hoc acidum vegetabile, acceptum referimus chemicorum hodiernorum eruditis laboribus. Ex optimis remediis unum est in calore inflammatorio et in actione nimia systematis vasorum, licet tanti sit pretii, ut hucusque in usum generalem trahi non potuerit. Propter solubilitatem et puritatem suam cremori tartari maxime antecellit; aquae autem durae pro solvendo acido tartari in universum vitentur. Ex hoc sale cum aqua et saccharo ex tempore potus fit gratissimus et optimus, qui fere in omni respectu sorbitionem ex limoniis (*limonade*) compensat. In itineribus longis, et aestu magno, quando miles, viribus exhaustis, prae siti collabitur, nec acetum

semper illico est ad manus; praebet semidrachma aut paulo plus hujus salis, in aquae libra soluti, cum addito forte uno spiritus vini cochleari, remedium refocillans accommodatissimum; quod tamen ob pretii magnitudinem ad casus solos necessarios restringendum est.

III. Aethiops antimonialis.

Quam parum antimonium in humoribus animalibus solvi videtur, et quantillam mercurius ipse in illo statu, quo in hac mistione latet, virtutem pollicetur, tamen stat experientia pro aethiope antimoniali. A tribus ad sex grana semel vel bis intra diem, aut in pulvere cum radice liquiritiae, aut in pilulis cum liquiritiae extracto, atque etiam, nisi febris vetet, cum resina quajaci in doloribus diuturnis arthriticis, in quibusdam exanthematibus chronicis, aliisque exhibetur. Quicunque medicus majorem sulphuris copiam adjunctam desiderat, hanc ex tempore addi curabit.

IV. Alcali vegetabile purum.

De hoc Num. LXXIX. sectionis secundae jam sermo fuit.

V.

V. Alcali volatile foetidum.

Perinde est, sive oleum animale empyreumaticum extrahitur ex cornu cervino sive ex aliis animantium partibus. In certa quantitate spiritus salis ammoniaci caustici solutum dat remedium illud, quod vulgo spiritus cornu cervi audit; cujus actio in variis affectibus nervosis, imprimis in sexu muliebri, in aegris hystericis aut hypochondriacis illam spiritus salis ammoniaci simplicis superat.

VI. Alcali volatile siccum.

Remedium hoc penetrans optima praestat in pluribus morbis, praecipue in febribus nervosis, in quibus vires vitales valde collapsae sunt, et frequentia animi deliquia incidunt, ubi siccitas cutis et tremor continuus adsunt; quando a granis quinque ad octo vel decem per se aut cum addito extracto roborante in decocto chinae vel in infuso valerianae aut angelicae successive exhibetur. Ex hoc alcali volatili sicco sic dictus *spiritus Mindereri* vel *sal alcali volatile acetatum* conficitur, si nempe illi successive tantum aceti destillati boni adjicitur, quantum

ad plenam saturationem requiritur. Haec compositio optimum praebet medicamentum in morbis, in quibus curandis ea res agitur, ut absque stimulo notabili perspiratio et alvi evacuatio promoveantur. Praescribitur a sex drachmis ad sescunciam cum infuso florum sambuci et roob sambuci vel cum oxymelle simplici. Nonnunquam etiam superadditur granum unum tartari emetici, ut hujus misturae cochlearia aliquot assumantur omni bihorio.

VII. Aqua calcis.

Hoc etiam remedium, quantumvis in catalogo non habeatur, hucusque tamen semper deportabatur ad praeparationem aquae phagedaenicae. Pro externo usu aqua calcis primae extinctionis, pro interno eadem extinctionis secundae in usu est. Si vetusta aut diu aëri libero exposita est, omnem virtutem medicam perdit; unde semper iterum recens est paranda. Interne sumta domat acidum in primis viis haerens, potestque stimulo suo in pituitosa inertia esse utilis. Datur etiam contra calculi incommoda a sex ad duodecim uncias intra diem, vel sola vel mista cum lacte. Interea celebritas interni hujus remedii tam in hoc quam in aliis casibus

sibus valde cecidit. Externus usus adhucdum amplius extenditur. In suspicione contagii venerei laudatur ceu remedium purificans aptissimum. Imo in medorrhoeis diuturnis injecta interdum profuit. Olim quoque ad curandam gangraenam humidam applicabatur, tametsi scopo principi, in quem in sananda gangraena collineatur, haud recte respondeat.

VIII. Aqua destillata.

Solummodo ad operationes quasdam chemicas et ad solvenda corpora salina, quae in aqua communi, saepe partibus heterogeneis variis inquinata, pati praecipitationem possent, in pharmacopoeis paratur.

IX. Aqua vulneraria Thedenii.

Encomio haud eget remedium hoc optimum; quod excellentia sua bene merita expellit omnino omnes aquas vulnerarias, quocunque titulo turgido superbientes.

X. Caules, *vulgo* stipites, dulcamarae.

Multam nostra aetate ob vires suas solventes et secretionum aquosarum promotri-

ces

ces celebritatem sunt adepti plurimis in morbis; uti in obstructionibus systematis lymphatici, imprimis naturae scrophulosae, in doloribus arthriticis chronicis, in diversis impetiginibus, ulceribus pertinacibus, doloribus ossium a cura mercuriali superstitibus et aliis. Quamvis autem laus tam generalis contra mala tam diversa non levem movere suspicionem posset, fiduciam tam illimitatam fundari in falsa perceptione remediorum sanguinem depurantium, (vide Num. XVI. sectionis secundae) tamen hoc certum est, posse stipites hos in casibus plerisque, in quibus hucusque radix sarsaparillae carissima tam liberalissime praescribebatur, adhiberi; sicuti re ipsa in doloribus arthriticis chronicis et in impetiginibus naturae herpeticae non raro sese egregios praestiterunt. Principio duae eorum drachmae, postea successive sex drachmae in aquae libris duabus coquuntur ad duas tertias partes residuas, ut colatum decoctum cum vel sine lacte potetur intra horas quatuor et viginti. Multi etiam medici utuntur extracto ex tota planta parato cum remediis antimonialibus vel cum resina quajaci conjuncto.

XI. Cereoli.

Ex utilioribus nostri saeculi inventis, de quorum apta applicatione agere non est hujus loci. Palam est, cereolos hosce solummodo effectum edere mechanicum, idque cum irritando, tum expandendo et premendo canales, in quos introducuntur. Curabitur, ut capsae instrumentariae chirurgicae tam hos cereolos, quam catheteres flexiles melioris notae habeant.

XII. Clavelli cinnamomi.

Pharmaci hujus origo adhuc obscura est; sed quamvis a lauro cinnamomo hanc trahere non videatur, habet tamen cum cortice ejusdem plura communia, multo plus olei aetherei largitur, et viliori venit pretio. Cum praeterea cortex cinnamomi, qualis divenditur, plerumque saporis et odoris magnam jacturam fecit, et oleo suo aethereo magnam partem antea spoliatum fuisse illum, credibile est, idcirco visum est, loco corticis cinnamomi hos clavellos multo efficaciores in usum vocare. Sic ex his deinceps parabitur *tinctura cinnamomi*; ex qua aqua cinnamomi spirituosa commode confici poterit. Huic etiam aquae simile remedium obtinetur, si

dimi-

dimidia vel integra drachma clavellorum cinnamomi in bono vino in vasis clausis aliquandiu digeratur. Haud facile gratius est remedium aliud et simul reficientius quam aqua cinnamomi vinosa in febribus nervosis, in magna aegrotantium debilitate, imprimis si cum decocto chinae aquoso miscetur. Cum effectu aeque bono aqua cinnamoni vel per se vel aliis cum remediis tonicis conjuncta praescribitur in organorum digestionis inertia, in flatibus, et in malis hypochondriacis abdominis. Utilitas tincturae cinnamomi, praesertim in haemorrhagiis uteri a debilitate et ab atonia, satis nota est.

XIII. Cortex Mezerei.

Hic cortex partim ceu remedium rubefaciens, inflammans, vel vesicatorium et ulcera artificialia producens, aliorum adinstar et ad similes usus adhibetur; partim ad ossium dolores et exostoses, quae ex lue venerea post curam mercurialem saepe remanent, in decoctis radicum bardanae aut stipitum dulcamarae etc. a dimidia ad unam drachmam in duabus dictorum decoctorum libris quotidie exhibetur. Ubi dosis hujus remedii fortior est, ejus usum cardialgia in-

com-

commoda sequitur. Sunt, qui loco corticis radicem ejusdem plantae commendarunt.

XIV. Cortex quercus.

Melior hic cortex est abstractus a ramis arboris junioris. Saporis est adstringentis sive acerbi et subaciduli. Ubi sola requiritur vis roborans, praeprimis in malis externis, apte decoctum hujus decocto chinae substituitur. Fausti ab illo effectus observati sunt in gangraena externa et in ulceribus putridis, quando partim in pulvere partim in decocto applicatur. In anginis catarrhalibus levibus statim ab initio, aut, si diutius duraverint, sub finem, decoctum corticis quercus cum parva aluminis dosi est unum ex optimis gargarismis. Nec minus glandes sub forma decocti utiliter datae fuerunt scopo roborandi, praecipue in atrophia infantum et in diarrhoeis diuturnis.

XV. Extractum gratiolae.

Indigena haec planta, caeterum drastica, dat extractum mitius evacuans, quod in obstructionibus viscerum et glandularum, imo etiam in ulceribus venereis pedumque inveteratis a causa interna ortis, dari potest.

Dosis

Dosis est granorum duorum ad quinque, successive ad quindecim augenda.

XVI. Extractum martis.

Extractum genuinum non est, sed potius mera ferri solutio in acido pomorum, evaporatione dein inspissata. Remedium hoc secundum easdem indicationes, uti praeparata martialia reliqua, a decem ad viginti grana semel vel bis intra diem in infusis amaris praescribitur.

XVII. Extractum taraxaci.

Hujus extracti, quod ex aequis partibus herbae et radicis paratur, vires amarae, lenes et valde solventes, tum et usus, cognita jam satis sunt.

XVIII. Farina secalina.

Haec loco farinae fabarum suscepta est, quia cum pretio viliori aeque bene agit. In nosocomiis legionariis ex pecunia nosocomii comparatur, cum ubique prostet.

XIX. Folia digitalis purpureae.

Jam diu haec planta contra indurationes glandularum scrophulosas laudabatur, donec etiam vis ejus diuretica innotuit, propter quam saepissime in hydrope data fuit. Interea remedium hoc drasticum in dosi nimia non raro vomitum vehementem, alvi profluvium ingens et nervorum affectus insignes produxit. Tum quoque in pluribus hydropibus incassum, in quibusdam cum damno exhibitum est. Nihilo tamen minus experimenta notabilia stant pro illo, non equidem in hydropibus quibuscunque, nec in illis, qui in hominibus plethoricis ex causis inflammatoriis aut irritabilitate nimia originem ducunt, nec in his, quos viscerum obstructiones magnae concomitantur, aut fortassis generant, nec in hominibus valde sensibilibus et delicatulis; sed in hydropibus qui orti sunt ab inertia partium solidarum et imprimis systematis lymphatici, et sic remedia exigunt, quae stimulo suo singulari resorptionem aquae egressae promoveant; haud secus atque squilla hanc promovet, quae nec ipsa remedium adeo est periculo immune, et tamen in morbo caeterum toties insanabili adhibetur optimo cum successu. Succus equidem recens foliorum aut infusum eorundem

satu-

saturatius videtur saepe nimis violente agere; sed foliorum bene siccatorum pulvis in casu memorato sine metu ab uno ad tria vel quinque grana, intra diem semel et tandem bis, cum saccharo exhibetur. Si tamen aeger de animi deliquio, cardialgia aut vertigine, et pressione infra palpebras conqueritur, remedium intermittendum est, et tum demum, ubi omnia haec symptomata disparuerunt, forte alterum faciendum periculum cum dosi minore. In planitie aut locis demissis culta videtur haec planta magnam virium jacturam pati. Etiam foliis digitalis luteae pulveratis. sed majore dosi a duobus granis ad octo et tandem decem assumtis, plures hydropes feliciter sunt curati. Caeterum in usu hujus remedii prudentia summa habeatur commendata, qua aliunde in istiusmodi remediis semper opus est. Lubenter talibus pharmacis careremus, nisi morbi sanandi pertinacia cogeret saepe medicum intelligentem, tandem ad illa, felici experientia edoctum confugere. Si hoc remedium, uti interdum accidit, aquam stagnantem copiose et cito abducit, necesse est, abdomen imo ipsa membra fasciis adstringere et nunc methodus corroborans, sicuti post alia similia adhibita remedia, requiritur. Nonnunquam accomodata opii copia additur, si digita-

gitalis, etiam in parca dosi, nimiopere in alvum agit.

XX. Gummi guttae.

Pertinet haec gummiresina ad pharmaca drastica, et qua tale non raro bonos effectus edit in hydrope, qui stimulo fortiori ferendo est. Sed raro hoc remedium aquam urina aucta pellit, sed plerumque alvo aquosa frequente; quam evacuationem soli homines robustiores perferunt. Notum etiam est, ob vim suam purgantem non raro adversus taeniam feliciter fuisse datum. Praescribitur hominibus robustis minusque irritabilibus in dosibus potius divisis, omni trihorio vel quadrihorio ad grana tría cum saccharo tritum. Contra taeniam ad grana decem, et semel vel bis cum intercapedine aliquot horarum, et, si taenia non eliminetur, ad regulas alibi dandas repetenda. Saepenumero tormina minus provocat ac resina jalapae, qua tamen validius operatur.

XXI. Hepar sulphuris.

Haepar sulphuris vulgare raro interne datur, et illud, quod cum calce viva paratur,

tur, et nuper contra salivationem a mercurii usu commendatum est, exspectationi raro respondet. Est tamen solutio hepatis sulphuris in aqua tepida remedium praesentaneum venenis jam modo ingestis, uti arsenico et mercurio sublimato corrosivo. Imprimis hepar sulphuris externe adhibetur in balneis, et ad diversa mala cutanea chronica compensat thermarum sulphurearum naturalium defectum.

XXII. Herba menthae piperitae.

Planta haec efficax praecipue colligitur ad destillandum oleum aethereum, unde solis in laboratoriis asservatur.

XXIII. Herba saponariae.

Cum in effodienda radice hujus plantae, herba sive folia simul eant perditum, et cum haec vere magnam partium efficacium copiam contineant, propterea inter remedia solventia fuerunt recepta.

XXIV. Hirudo.

Venae sectio topica saepius quam maxime praecellit venae sectioni universae, hoc

est,

est, evacuationi sanguinis ex venis majoribus, a parte affecta remotis. At saepe talis evacuatio aptius quam per hirudines institui nequit. Hinc in posterum in quovis nosocomio primario conveniens optimarum hirudinum numerus praesto erit. Medici legionarii et cohortales curabunt, ut adsint in nosocomiis stativorum suorum.

XXV. Lapis causticus.

Utilitatis in chirurgia spectatae. Si ejus drachma una solvitur in libra una aquae, lixivium obtinetur, ad libitum aut acuendum aut mitigandum, remedium optimum in tractandis vulneribus venenatis (vide infra Num. XXXV.) Lapis causticus in vasis exacte clausis servetur.

XXVI. Lignum juniperi communis.

Lignum hoc indigena partes constitutivas habet, quae illud exoticis par optimis lignis reddunt.

XXVII. Lithargyrum.

Calx plumbi semivitrificata, ejusdem cum reliquis plumbi calcibus efficaciae, sed iisdem

dem, quia hodie apud nos ex plumbo puris simo praeparatur, praeferenda.

XXVIII. Maltum.

Ex hordei malto confectus potus laudatus admodum a pluribus medicis in scorbuto et in multis morbis tam febrilibus quam chronicis fuit. Tametsi autem observationes accuratiores et recentiores celebritatem hujus remedii, nimio majorem, multum restringant, nihilominus manet potus utilis et simul nutriens pro scorbuticis.

XXIX. Mercurius sublimatus corrosivus.

Est sal mercurialis summae efficaciae, ob hoc ipsum periculosus in manu imperita; sed non propterea minus aptus ad praestanda optima, si indicationem et usum rite definire novimus. Hoc fundamento nituntur omnes sibi mutuo repugnantes experientiae de utilitate aut noxa hujus remedii. At vero numerus observationum felicium nimius est, quam ut decreto dictatorio illegitimo qualiscunque ulterior ejusdem usus interdiceretur. Fatendum quidem est, mercurium sublimatum, praescriptum hominibus macilentis, valde sensibilibus et in haemoptoen

moptoen tabemque proclivibus, violento stimulo suo multa mala produxisse, ejusdemque applicationem perversam victimas morbi foedissimi victimis ignorantiae crassissimae cumulasse et adauxisse; verum si isto modo judicium de medicaminibus ferretur, paucorum certe actuosiorum usus ultra esset tolerandus. In eruptionibus cutaneis et morbis ossium venereis, tum etiam in devastationibus hujus veneni promptissimis, certe non sunt remedia cognita mercurialia, quae tam cito symptomata principalia mitigant, quam ipse hic mercurius sublimatus. Si quis in ossium collectionibus crania a lue venerea cariosa perforataque ostendens, hanc ossium destructionem mercurio sublimato assumpto attribuere non erubescit, nae ille vel ignorantiam summam prodit, vel odium in illum mercurium inexplicabile. Nam quotidie istiusmodi erosiones patiuntur aegri, qui ne vel grano hujus mercurii usi sunt. Interea summopere necesse est, ut remedium tam actuosum a solis expertis medicis primariis et legionariis dirigatur. Cum hujus salis mercurialis solutio in frumenti spiritu nec necessaria sit, nec tam generatim indicetur, in posterum solutio ejus sola in aqua fiet destillata, et ita quidem, ut ad unum sublimati granum duae sumantur unciae

 aquae

aquae; de qua solutione adulti pro circumstantiarum ratione successive assument semunciam, quae continet sublimatum ad unam quartam partem grani, commistam cum libris duabus potionis mucilaginosae emollientis; idque bis intra diem. Non est consultum, remedium hoc dare forma pilulari, atque ita ventriculo tam sensibili offerre lente solvendum et diluendum. Usus mercurii sublimati externus in unguentis vel in balneis eo scopo, ut lues curetur, rejiciendus est, quia sic majores doses adhiberi oportet, nec definiri potest, quantum absorbeatur. Sed in morbis cutaneis pertinacibus solutio sublimati efficaciter agit; licet nec hic unquam veniat in oblivionem, cum medicamine mercuriali vehementissimo rem suscipi.

XXX. Oleum destillatum baccarum juniperi.

Vide Num. X. sectionis secundae.

XXXI. Oleum baccarum lauri.

Coctione et expressione obtentum hoc oleum est unum ex vilissimis pharmacis externis ad unguentum sic dictum nervinum.

XXXII. Oleum destillatum menthae piperitae.

Jam aliquoties facta mentio ess olei aetherei hujus penetrantissimi et in flatibus doloribusque hujus generis colicis praestantissimi, tum etiam de ejusdem adhibendi modo. Una alterave gutta cum drachma sacchari trita dat septem vel octo aquae unciis momento omnem eandem virtutem, qua per destillationem aqua menthae piperitae pollere potest.

XXXIII. Pulvis Doweri.

Experientia docuit, radicem ipecacuanhae, cum opio conjunctam, non tam facile vomitum, opium vero non facile somnum nimium producere, sed ex hac mistione exsurgere remedium, quod, ab octo granis ad duodecim datum, saepe spasmos violentos sedare, et imprimis transpirationem sudoremque promovere visum est. In morbis inflammatoriis nocet; prodest autem maxime in levibus refrigerationibus, in affectionibus asthmaticis, tussi convulsiva, catarrhis rheumaticis sine febre, haemorrhagiis internis a debilitate et a nimia irritabilitate partium solidarum, et in diarrhoeis chronicis. Imo

in diabete, saepius et aucta successive multo majore dosi datus, se subinde egregium praestitit.

XXXIV. Radix arnicae.

De arnicae usu jam Num. XXVI. sectionis secundae sermo fuit. Radix hujus plantae praesertim in diuturnis alvi profluviis, a debilitate intestinorum ortis, et in diarrhoeis, quae cum virium jactura in febribus nervosis et pituitosis adsunt, remedium est utilissimum. Optime praescribitur pulvis ad dimidiam drachmam bis vel ter quotidie. Jam dictum est, radicem hanc coctione plurimum de virtute sua perdere, adeoque illam, ut forma liquida exhibeatur, aliquandiu in aqua ebulliente esse infundendam, atque hoc infusum tunc porrigi.

XXXV. Radix atropae belladonnae.

Folia, praecipue tamen radix hujus plantae, nostris temporibus contra morsum canis rabidi laudata fuerunt. Notum est, omnia in hunc scopum commendata interna remedia huc usque medicorum spem nimium quantum fefellisse; et hodie quoque desiderari verum antidoton, quo, uti per mercurium vene-

venerea lues, introducta ab animali rabido morbi materies destrueretur, Forsitan nec hujus rei spes magna superest; quum vel ipse mercurius, ceu remedium prophylacticum adhibitus, possit nunquam luis adventum antevertere, sed necesse sit, morbum hunc jam vere adesse, ut mercurius aliquid efficere queat. Necdum igitur remedium rabiei praeveniendae certum innotuit aliud, quam veneni immissi ablatio omnium promtissima, et, cum haec res ut plurimum alio effici modo non possit, destructio celerrima superficiei totius vulneris, cui venenum inhaeret. Hoc fit vel expedita ejusdem exsectione, ubi situs et conditio partis vulneratae sinunt; aut vulneris ustione; vel tandem, et hoc quidem omnium optime, accurata vulneris totius, etiam incisuris ampliati, lotione et depuratione ope lapidis caustici in aqua soluti (vide supra Num. XXV.), vel ope lixivii saponariorum, quibus tam extremitates vasorum absorbentium vulneris vi clauduntur, quam vehiculum veneni animalis mucilaginosum momento destruitur. Haec curandi methodus nititur ratione et experientia. Quam maxime autem ad hanc etiam serius adhibendam inducimur, quoniam novimus, contagium veneni rabidi in plerisque hominibus saepe diu malum manere me-

re

re topicum, atque adeo aeque diu posse contagio infectum per remedia topica cum successu felicissime tractari.

Interea nunquam cum certissima cognitione definiri potest, utrum post plures a vulnere inflicto dies absorptio veneni jam facta sit, nec ne. Velocior vel tardior absorptio non est rationibus nostris computabilis; nam hoc negotium systematis venarum absorbentium pendet ab adjunctis, quae non intelligimus, multo minus determinabimus. Rabiei eruptio in diversis hominibus diversissima est; adeoque nulla hic valet norma generalis; et quamvis etiam concederetur, rabiem nunquam tam ocyssime morsum illatum insequi, et licet omnino verissimum sit, venenum rabidum, vel ipsis in vulneribus jam sanatis, semper prius stimulo topico loci vulnerati initium facere, quam rabies vera erumpat; tamen dici indubitate non potest, propterea, quod nondum indicia ulla cognita stimuli interni praegressa sunt, etiam contagium non adesse, donec in vulnerato loco indicia solita eruptionis observantur. Vel ipso in hoc loco venenum saepe silet per menses, et vulnus sic venenatum ut plurimum haud sanatur difficilius ac aliud quodcunque morsu non venenoso inflictum;

quo

quo demonstrari videtur, venenum hoc animale, uti venereum, saepe satis diu in corpore et in ipso systemate vasorum susceptum haerere posse, quin se indiciis, jam nunc nobis cognitis, manifestaret. Cum jure merito dubium superesse queat, an non in morsu profundius et diversimode penetranti, non obstante quacunque ejus facta dilatatione, pars sit etiam vel minima, in quam causticum adhibitum sufficienter non egerit; cum iterum fieri possit, licet omnis mucus ex vulnere sit elotus, non omnem propterea veram veneni materiem, probabiliter a muco illo diversissimam, tam cito atque opus erat, fuisse simul ablatam; et cum tandem in vulnere jam adesse inflammatio possit, quae caustici applicationem protrahi jubeat; patet, propter omnes hosce et singulos casus quam maxime exoptandum esse remedium, quod cum quodam fundamento et in spem meliorem vulneratis anxiis porrigi posset, ut ne tamen propterea negligatur tractatio vulneris externa. Istiusmodi esse remedium videtur vel mercurii ad salivationem usque protracta quotidiana inunctio, vel radix belladonnae. Huic utrique prae caeteris remediis in hunc diem experientia magis favit. At vero quis verbi experientiae

ambi

ambiguitatem, imprimis respectu sanati morsus canis rabidi, ignorat? Ex centum hominibus, qui ab animali rabido dicuntur morsi, forte duntaxat quinquaginta sunt, qui sint a rabido vere. Hos inter forsitan decem vulnus solummodo siccum acceperunt, sine infusione salivae venenosae, quae vestibus cuti accumbentibus unaque perforatis inhaesit, nec ad vulnus transiit. Sunt fortassis etiam, in quibus in morsu sanguis, ex vasis laesis profluens, paucum adlatum salivosum humorem elavit, et abduxit. Inter reliquos forte quinque aut plures in momento vulneris inflicti non erant suscipiendo veneno apti. In omnibus hisce casibus qualiscunque adhibita sit medela, sive externa, sive interna semper illi laus sanationis absque fundamento attribuetur. Nihilominus tamen uniuscujusque aequi, rei periti, et ad logicen recte concludentis, observatoris assertum, tum etiam summa omnium assertorum, venire in considerationem debent, ut ne objici nobis possit, in casu tam urgente neglectum esse aliquid, quod forte utile fuisset.

Secundum haec principia igitur, una cum causticorum supra memoratorum applicatione accurata, ad radicem belladonnae etiam confugere licet. Sub forma pulveris cum sac-

saccharo mista, infantibus unius aut quatuor annorum ab uno grano ad tria, iisdem quatuor vel sex annorum a tribus ad quinque grana, et sic porro in ratione aetatis, adultis autem a decem granis ad quatuordecim datur, at ita, ut in infantibus cum una quarta vel dimidia grani parte, in adultis vero ab uno ad sesquigranum fiat initium, et tum demum dosis successive augeatur, quando nulla superveniunt mala symptomata, verae dati remedii sequelae, qualia sunt animae defectio, vomitus, vertigo, diplopia, caligo, delirium. Semper post quamque dosin quadraginta octo horarum intercapedo observatur, et simul transpirationi corporis accuratissime consulitur. Plerumque solae tres exhibentur doses; plures autem in ulceribus ichorosis, lividis et elevatis, quando ulcus simul unguento irritante apertum et in suppuratione retinetur.

Etiam in hydropibus a debilitate, in obstructionibus glandularum pertinacibus, et in scirrhis incipientibus, viri multae auctoritatis et experientiae pulverem belladonnae commendarunt, et ad normam praecedentem praescripserunt.

XXXVI.

XXXVI. Radix taraxaci.

Videatur supra Num. XVII.

XXXVII. Radix tormentillae.

Haec radix optimum est remedium adstringens ex regno vegetabili. Praescribitur in dosi quindecim granorum ad quatuor et viginti cum addito pharmaco aromatico, uti radice calami aromatici.

XXXVIII. Resina quajaci.

De hac resina jam monitum est, proprio labore ex ligno quajaci praeparari debere. Est remedium stimulans et in potu calido sudoriferum. Hinc in arthritide chronica, in doloribus rheumaticis sine febri, imo in ipsa podagra datur in dosi sex granorum ad decem, plerumque conjuncta cum remediis antimonialibus et mercurialibus, uti cum aethiope antimoniali, sulphure aurato antimonii, mercurio dulci; dum simul aegri decoctum stipitum dulcamarae aut simile aliud bibere sueverunt. Olim hoc remedium in spiritu vini rectificato solutum praescribebatur, sed calefaciebat nimium. Cum gummi arabico et vitello ovi bene quidem conjungitur;

tur;

tur; sed resina post paucas horas ex aqua partim se extricat. Melius itaque forma pilulari, etiam trita cum sapone puro, datur.

XXXIX. Resina pini.

Praecipue ad emplastra adhibetur, quibus majorem firmitatem conciliat.

XL. Sapo niger.

Solummodo usui venit ad depurandam cutim aegrorum, imprimis scabie infectorum. Ex nosocomiorum pecunia comparatur.

XLI. Soda hungarica.

Minerale hoc alcali, utpote productum indigena, sodae hispanicae multo impuriori ad operationes pharmaceuticas praeferendum est.

XLII. Spiritus salis ammoniaci causticus.

Sal hic alcalinus volatilis liquidus causticus, ex sale ammoniaco ope calcis obtentus, praeprimis adhibetur ad linimentum volatile, tot in casibus utile, conficiendum. Optimum quoque remedium est quo submer-

sis

sis et a noxiis gas suffocatis stimulus promtus applicetur.

XLIII. Spongia praeparata.

Usus ejus chirurgicus abunde notus est.

XLIV. Sulphur auratum antimonii.

Cum in nova hujus sulphuris praeparandi norma, respectu aequabilitatis in mistione et lenitatis in agendo, aeque nobis liceat esse tranquillis quam in kermes minerali; propterea hoc ultimum, quoniam aliunde iisdem ex indicationibus praescribi soleat atque sulphur illud, a quo haud aliter quam majore calcis antimonialis contentae copia discriminatus, jam in primae sectionis Num. LXXXI. exclusum, et solum sulphur auratum reservatum fuit, quo dosin leviter augendo aut saepius repetendo ad eosdem fines certius utemur.

Dosis sulphuris aurati antimonii est pro infantibus semigranum, pro adultis totum granum, quae pro aetatis et circumstantiarum ratione repetitur omni trihorio vel quadrihorio, nisi nausea doceat vel vomitus, remedium esse restringendum. Optime te-

ritur

ritur sum scrupulo sacchari in pulverem. Sulphuris aurati et mercurii dulcis partes aequales faciunt sic dictum *pulverem alterantem Plumeri*, qui vel solus per se, aut cum resina quajaci, ope cujusdam extracti in pillulas redactus, in doloribus arthriticis chronicis nec febrilibus, in variis eruptionibus cutaneis a causa interna ortis, in ulceribus vetustis, in glandularum obstructionibus alisque dari potest.

XLV. Syrupus aceti.

Nota est virtus aceti. Copulatum cum saccharo meram aquam mutat in potum gratum utilemque in malis inflammatoriis et febribus biliosis.

XLVI. Syrupus simplex.

Loco omnium syruporum est ad edulcanda medicamina pro palatis delicatioribus et pro illis, qui ferre radicem liquiritiae et mel nequeunt.

XLVII. Tartarus tartarisatus, vel solubilis.

Tartarus hic tartarisatus, nostratibus dictus solubilis, quia facile solvitur, et quod

in

in praeparatione acidi tartari sponte remanet, apte in misturis praescribitur. Prae caeteris datus est in viscerum obstructionibus, in melancholia et mania. Si morbi hi originem non trahunt a vera debilitate, quae usu longo salium solventium augetur, sed potius in primis viis haeret maniae causa, fiducia in hoc sale erit justa, qui tunc utiliter dabitur ad quatuor drachmas cum aequa mellis portione cumque octo unciis aquae conjunctus, quotidie cochleatim sumendus. At vero obtsructiones, melancholiae et maniae, quae producuntur a debilitate vera aut a quacunque causa, extra limites organorum digestionis sita, requirunt longe alium, saepe contrarium, medendi modum.

XLVIII. Vinum antimoniatum.

Celebri hoc remedio non facile ultra utimur in scopum emesin excitandi, sed in eundem, quo utimur in refracta dosi tartaro emetico, kermes minerali et sulphure aurato antimonii. Ut certiores simus de actione hujus remedii, solvantur duo grana tartari emetici in uncia una vini boni, sicque duae drachmae vini semigranum tartari emetici continebunt. Ideo huc omnes illae animadver-

sio-

siones spectant, quarum mentio in sulphure aurato antimonii facta est, et praeterea ad tartarum emeticum in proxima sectione fiet.

Nimis foret prolixum, si omnes adferrentur rationes, ob quas plura alia remedia, cum jam diu cognita, tum magis nova, fuerint hic exclusa. Id, quod de novis remediis in principio hujus sectionis dictum jam est, hic in universum locum habet. Suppetebant momenta, quae suadebant, ut subsequa remedia in pharmacopoeis castrensibus adhucdum suus maneret locus.

Acidum essentiale succini.
Allium sativum.
Angusturae cortex.
Aqua laurocerasi.
Avena sativa.
Bovista.
Cortex salicis fragilis.
Cuprum ammoniacale.

Doli-

Dolichos pruriens.
Extractum chelidonii majoris.
— — gemmarum quercus.
— — hellebori nigri.
— — hyoscyami nigri.
— — nucum juglandum.
Fuliginis tinctura.
Herba anagallidis arvensis.
— centaureae benedictae.
— jaceae, s. violae tricoloris.
— marrubii vulgaris.
— onopordi acanthii.
— phytolaccae decandrae.
— plumbaginis europaeae.
— spigeliae marylandicae.
Kino gummi.
Lignum campechense.
— — quassiae.
Magisterium Bismuthi.
Magnesia muriae calcinata.
— — — nigra.
Mercurius alcalisatus.
— — — nitrosus.
— — — phosphoratus.
— — — praecipitatus albus.
— — — — — — cinereus.
— — — — — — solubilis.

Ole-

Oleum animale Dippelii.
— cajeput.
— petrae.
— tanaceti.
Pruni laurocerasi folia.
— spinosae fructus.
Radix armoraciae.
— — caricis arenariae.
— — bryoniae.
— — dictamni albi.
— — gei urbani.
— — imperatoriae.
— — lupuli.
— — polygoni amphibii.
— — polygalae senekae.
— — ononidis.
— — rubiae tinctorum.
Roob nucum.
Sulphur auratum antimonii liquidum.
Stannum rasum vel pulveratum.
Tanaceti semina.
Terra ponderosa salita.
Turiones pini.
Vaccini myrtilli baccae.

Ex his plura, uti *Cortex angusturae, Cuprum ammoniacale, Extractum hellebori nigri et*

 hyos-

hyoscyami nigri, Terra ponderosa salita, etc. prima occasione oblata diligentius atque curatius examinabuntur.

SEC-

SECTIO QUARTA.

De medicamentis compositis, quae mutationem subierunt.

Ut numerus medicaminum compositorum, propter virtutem suam maxime indeterminatam, vel superfluitatem manifestam et agnitam, multum imminutus est, sic etiam medicamenta composita reservata magnam partem ad alias sunt leges elaborata, ut, quidquid in illis secum pugnaret, aut inutile et supervacaneum videretur, omitteretur, imo vel tota quanta mutarentur ad praecepta rationis et experientiae. Ipsae etiam in nosocomiis hucusque adhiberi solitae remediorum formulae fere totae transformatae sunt,

cujus etiam laboris paucis ratio reddetur. In omnibus compositionibus, ubi fieri poterat, Pharmacopoea austriaco - provincialis emendata anni 1794. normam dedit. De his autem, quae non mutatae perstiterunt, nulla aut modo brevissima mentio fiet.

I. Acidum vitrioli dulcificatum *vulgo* Elixirium vitrioli simplex.

Hoc elixirium acidum ab Halleriano tantum in eo differt, quod loco partium aequalium acidi vitrioli fortissimi et spiritus vini rectificatissimi duntaxat una pars acidi cum quatuor partibus spiritus misceatur. Tam haec mistio, quam Halleri illa acida, praeclaros praestat effectus in illa nimiae sensibilitatis specie, quae conjuncta est cum debilitate, calore vago urente, pulsu modice pleno et duro, sine signo veri status inflammatorii et abundantiae virium; tum etiam praecipue in febribus putridis. In hisce casibus ventriculus utplurimum afficitur a mistione acidi vitriolici cum mera aqua, ubi ex adverso experientia nos docet, admistum huic acido spiritum vini actionem acidi illam omnium optime mitigare nec tamen nimiopere infringere. Siquis desiderat proportionem eli-

xirii

xirii halleriani, facile pharmacopoeus de acido vitrioli tantum prudenter instillabit, quanto opus est. Remedium hoc egregium est in foeminis chloroticis, quae prae sensibilitate morbosa non ferunt remedia solita alias indicata roborantia, corticem peruvianum et praeparata martialia, et tamen ob menstrua deficientia pulsum febrilem, pleniusculum et duriusculum habent; ut tamen ne cogitandum quidem sit de curanda hac falsa plethorae specie per venae sectiones et remedia antiphlogistica. Haud aliter comparatum est cum febribus lentis, in quibus pulsus saepenumero plenitudinem et duritiem fallacem assumit et remedia quidem alia roborantia indicata forent, sed ob nimiam sensibilitatem non, uti hoc elixirium, ferentur. Praescribuntur in principio hujus remedii guttae triginta, et successive dein sexaginta vel octoginta, in tanta aquae recentis copia, ut inde grate acescat. Ubicunque vera inflammatio adest, aut febris inflammatoria causa morbi est, ab hoc remedio est abstinendum.

II. Aqua phagedaenica.

Vide Num. XI. sectionis primae.

III. Electuarium anodynum *vulgo* theriaca.

Fiducia, quam multi aegri jam solo ex nomine in hoc antiquo remedio ponunt; necessitas ex istiusmodi compositionibus res superfluas et secum pugnantes tollendi; et ipsa commoditas possidendi sub forma electuarii remedium roborans cum parca opii dosi conjunctum; huic mistioni ansam dederunt, quae omni in casu, in quo alias theriaca indicata fuisset, majore cum fiducia quam compositio antiqua ipsa adhibebitur. In una drachma hujus theriacae opium fere ad unum granum continetur.

IV. Emplastrum adhaesivum *vulgo* diachylon cum gummi.

Solum galbanum ex hoc emplastro expunctum est, ejusque loco dupla gummi ammoniaci dosis adhibita. Actio et usus eadem manent, uti ante.

V. Emplastrum vesicatorium.

Ex hac compositione camphora excluditur; quae, prouti jam antea monitum est, ardorem urinae, a cantharidibus metuendum impedire nequit; sed contra stimulum cantharí-

tharidum absque necessitate et saepe cum damno adauget.

VI. Liquor alcalinus volatilis foetidus, *vulgo* spiritus cornu cervi.

Spiritus cornu cervi proprie est mistio salis alcalini volatilis mitis, ejusdem caustici, et olei empyreumatici animalis. Actio primaria pendet ab alcali illo caustico illoque oleo. Secundum hoc fundamentum formula pharmacopoeae militaris instituitur, ad quam in posterum ex tempore in pharmacopoeis castrensibus hoc remedium parabitur.

VII. Tartarus emeticus.

In conficiendo remedio, quale hoc est, quod in nosocomiis magni exercitus tam frequentissime in usu est, et cujus ab efficacia et securitate pendent tanta, summa cum prudentia methodus conficiendi erat indicanda. Propterea tartarus emeticus, ad diversas formulas accuratissime paratus, definito tempore sexaginta tribus aegris, in quibus emeticum indicabatur, datus ad probandum fuit; et tot experimentorum summa practica fuit, tartarum emeticum, jam multis abhinc annis ex antimonii vitro parari solitum, omni

res-

respectu semper determinatissime et certissime egisse, prouti quoque a longo tempore a medicis castrensibus austriacis sine ullo questu adhibitus fuit. Post talia experimenta hanc praeparationem, licet objectio contra illam facta non ignoraretur, praeferri omnino oportuit. Praecipue objicitur: vitrum antimonii venale nec semper idem esse, nec purum, nec igitur ejus actioni in tartaro emetico fidi posse. Sed omne cessat dubium, simul atque novimus, vitrum antimonii in laboratorio primario pharmacopoearum militarium nunquam ab aliis emi, sed singulari cum attentione et sine ullo additamento in eodem ipso parari. Successus bonus hujus remedii defendit hanc praeparationem plenissime contra quaecunque objecta; nec ulla causa est, cur haec tam diu cum utilitate adhibita praeparatio cum alia commutaretur, cum etiam ex instituto omnis tartarus emeticus eadem manu et semper eadem methodo in usum omnium exercituum caesareorum parandus sit. Neque tamen cuncta haec impediunt, quominus etiam optime confecti remedii drastici abusus locum habere posset. Hinc omnia forent hic repetenda, quae in sectione altera occasione radicis ipecacuanhae monita sunt; quibus accedit, errorem cum

tar-

tartaro emetico, qui plerumque radice ipecacuanhae violentius agit, commissum sequelas infeliciores post se trahere quam errorem cum ipecacuanha. Quamvis enim hic sal emeticus dosibus divisis per epicrasin detur, tamen non raro accidit, aegrum haud prius in vomitum induci, quam tota jam sit portio assumpta, quando tunc saepe actio ejus tam vehemens est, ut tum demum intelligamus, dimidiam dosin plus quam satis fuisse. Vel dum etiam vomitus nullus vel tantillus insequitur, est tamen actio hujus salis in intestina tam valida in multis aegris, ut illa ante determinari non possit, nisi forte jam alvi profluvium praecedat, quando praedictu facile est, tartarum emeticum versus inferiora acturum potius quam per vomitum, qui tamen iisdem in circumstantiis sat saepe ope radicis ipecacuanhae excitabitur. Omnia tamen haec tartari emetici usum prudentem plane non tollunt, qui semper in multis casibus certius et promptius operatur quam illa radix, et solutus in aqua in quacunque minuta dosi praescribi potest.

VIII. Tinctura amara, *vulgo* elixirium stomachicum temperatum.

Elixirium sic dictum stomachicum antea con-

constabat ex extractis absinthii, centauri minoris, cardui benedicti et gentianae, ex dosi forti salis alcalini fixi vegetabilis, ex aurantiorum corticibus et tandem ex vino. Alcali certissime haud bene cedit omnibus ventriculis; et formula nova est ob simplicitatem suam multo commendabilior, tum etiam ob praestantiam tincturae cinnamomi prae illa aurantiorum. Quotidie semel vel bis praescribitur ad cochleare.

IX. Tinctura amara martialis, *vulgo* liquor visceralis.

Tria in hoc remedio extracta amara certe erant nimia, ubi unum suffecisset solum. In tinctura cinnamomi spiritus vitrioli dulcificatus et aqua corticum limoniorum aliunde valde supervacanea sunt. Extractum martis pomatum vim roborantem hujus remedii attollit. Etiam ad cochleare exhibetur semel vel bis intra diem.

X. Tinctura anodyna, *loco* laudani liquidi Sydenhami.

Non eget opium in hoc remedio aut croci aut cinnamomi accessione. Spiritus vini tantillum aquosus solvit optime tam gummo-

sas quam resinosas opii partes. Guttae quatuordecim novae hujus tincturae continent granum unum opii puri.

XI. Tinctura cinnamomi.

De hac tinctura Num. XII. sectionis tertiae jam factus sermo fuit, et causa indicata, quare clavelli sic dicti cinnamomi cortici ipsi fuerint praelati.

XII. Unguentum basilicum.

Loco sebi arietini bovillum et loco olei olivarum axungia porci adhibentur; quae res eodem plane modo agunt. Omittitur pix foetida, quae unguento colorem quidem dat nigriorem odoremque ingratiorem, neutiquam vero virtutem majorem.

XIII. Unguentum commune, *loco* unguenti althaeae.

Simplex hoc unguentum in locum notissimi unguenti althaeae suscipitur; hujus ultimi enim usus ab omni tempore erat ad emolliendum; quod praestant omnia corpora pinguia, ut nec opus hic sit triplice ex radice althaeae et ex lini ac foenugraeci seminibus

muci-

mucilagine nec opus materia tingente uti curcuma. Terebinthina manifeste stimulat, et ad unguentum emolliens omnino non pertinet. Omnibus hisce vitiis accedebat adhuc odor ingratus; quae cuncta per hujus unguenti confectionem simpliciorem sine jactura virium corriguntur.

XIV. Unguentum digestivum.

Unguentum digestivum, quod in usu erat, nunquam secundum pharmacopoeam austriaco-provincialem praeparabatur, sed conflabatur ex terebinthina et vitellis ovorum. Mera axungia porcina cum terebinthina copulata dat optimum unguentum digestivum. Dictu vix opus est, etiam hoc unguentum in nosocomiis militaribus tam frequenter et fere sine ullo discrimine ex sola auctoritate applicatum, supervacaneum imo noxium in vulneribus ulceribusque esse, quae nec impura sunt, nec stimulo egent, ut a natura sola sanentur.

XV. Unguentum lithargyri, *vulgo* unguentum matris.

Hoc solo unguento saturnino omnes fines obtine-

obtinebuntur, qui ab unguenti saturnini usu rationabiliter exspectandi sunt.

XVI. Unguentum mercuriale.

Loco sebi cervini bovillum praescribitur. In hoc unguento totum negotium vertitur in diligente tritura mercurii, qua in calcem mutetur.

XVII. Unguentum nervinum.

Oleum baccarum lauri huic unguento impertit indolem volatilem et penetrantem, qua omnes proprietates unguenti sic dicti nervini vel stimulantis adipiscitur. Qui additam camphoram, oleum terebinthinae vel spiritum salis ammoniaci cupit, pro indicationibus variis ex tempore addi curabit.

Atque has mutationes medicamenta composita reservata subierunt, ob rationes, quae allegatae suo loco fuerunt. At non minus cogitandum erat de excludendis aut emendandis formulis huc usque in usum receptis, quas inter multae propter levitatem suam silentio praetermittentur, aliae autem adducentur una cum exclusionis vel correctionis causis.

Sequen-

Sequentes formulae merebantur omnino excludi.

I. Clysma balsamicum.

Hoc parabatur ex lactis unciis quinque, in quo chalybs candens extinguebatur, ex duobus opii granis, et sesquidrachma terebinthinae vitello ovi subactae. Chalybis haec extinctio nullam dat lacti virtutem roborantem, omnium minime balsamicam. Nec opium certe unquam in hunc finem ab ullo perito medico praescriptum est. Si quis tamen velit istiusmodi clysma in longe alium finem dare, poterit terebinthinam ope vitelli ovi in lacte aut malvae decocto solvere.

II. Collyrium anodynum.

Sex croci grana lac virtute singulari non imbuunt. Magis inservient palpebris et genis flavo tingendis, quam ulli oculorum morbo sanando.

III. Collyrium resolvens.

Ex aqua rosarum, infuso florum sambuci et borace. Hic duplex aqua redundat.

Sa-

Sales in oculos immissi plus stimulo forti agunt quam vi vere solvente.

IV. Electuarium antiscorbuticum.

Ex conserva fumariae, pulvere jalapae, arcano duplicato, et melle. Vix divinari potest, quo queant pacto jalapa et arcanum duplicatum ad curandum scorbutum facere. Rarissime in hoc morbo purgantia indicantur, et facillime tales stimulos insequuntur haemorrhagiae in intestino recto et animi deliquia lethalia.

V. Emulsio ordinaria.

Ex seminibus melonum, et ex seminibus carioribus cucurbitae, ac si haec duo inter semina magnum subesset discrimen. Amygdalae dulces vilioris sunt pretii, diutius incorruptae servantur, et emulsionibus aptiores sunt.

VI. Infusum vulnerarium.

Ex infuso veronicae et hyssopi. Elapsa sunt illa tempora, quando medicamenta quaedam, interne assumpta, credebantur in vulneribus medendi officio fungi.

VII.

VII. Pilulae balsamicae.

Ex mastiche, olibano et terebinthina. Non nunc ultra pulchro virtutis balsamicae titulo in remediis internis decipimur. Istiusmodi medicamenta ut externe sic interne agunt solo stimulo, qui utplurimum valde ibi nocet, ubi olim balsamica tam frequenter exhiberi solebant.

Mutatae et emendatae fuerunt formulae sequentes.

I. Aqua phagedaenica.

Vide supra Num. II.

II. Bolus laxans cum mercurio.

Mercurio ad purgandum non utimur. Nec magis huic scopo inservit roob sambuci. Omnium minime praescribitur bolus unius unciae et granorum triginta sex una vice deglutiendus.

III. Cataplasma anodynum.

Duo ovorum vitelli, qui tali remedio essent adjiciendi, certe illi vim anodynam non

non conciliant, quin potius illud in castris; ubi ovorum recentium solet esse penuria, sine ulla necessitate carius reddunt. Quid proprie decem croci grana, externe applicata, praestare debuissent, aenigma est.

IV. Mixtura antiseptica.

Certe haud multum putredo supposita fecerit progressum, si quidem illa per decocti vulgaris uncias octo cum drachma acidi vitriolici, cujus quinque sextae partes aliunde mera aqua sunt, cohiberi possit.

V. Mixtura cardiaca.

Ex octo unciis infusi florum chamomillae et guttis quindecim spiritus cornu cervi. Quantum cardiaci in tali formula lateat, etiam omni cum studio intelligere non est. Poculum vini boni, in magna lassitudine cum pauca cinnamomi tinctura conjuncti, multo melius vires cordis eriget.

VI. Pulvis salinus.

Ex tartaro et arcano duplicato. Sufficit jam alterutrum.

VII. Pilulae martiales.

Limatura ferri, vitriolum martis, aut extractum martis cum succo pomorum, multo sunt aethiope martiali efficaciora. Proprie tam speciosae sunt hae pilulae, ut formulae hujus generis quam maxime placere debeant non aegrotis, sed pharmacopoeis, ubi praeter carum aethiopem carius chinae extractum et multo adhuc carius simulque inutile extractum rhei hic videntur praecise copulata, ut taxatio fiat pretiosa.

VIII. Potio mannata.

Haud opus est, uti jam monitum est, folia sennae a petiolis suis secerni.

IX. Unguentum mundificans.

Certiora unguento aegyptiaco prostant remedia. Nec mel rosatum praestat melli communi.

Reliquae hic non appellatae formulae partim sunt usui aptae, partim levissimi momenti, et facile per alias magis idoneas pensandae. Novus formularum codex universo usui sufficit, ut ne tamen propterea me-

dicis

dicis castrensibus sit interdictum, ex variis pharmacis simplicibus, ubi istae formulae non superant, novas facere. Caeterum ab hac die formulae antiquae abrogantur.

DE INSTRUMENTORUM CHIRURGICORUM FACTA SIMPLIFICATIONE et EMENDATIONE.

APPENDIX PRIMA.

AD

COMMENTARIOS IN PHARMACOPOEAM NOVAM AVSTRIACO-MILITAREM.

Sicuti doctrina materiae medicae his ultimis annis maximos progressus fecit, ita eodem

dem etiam tempore doctrina instrumentorum chirurgicorum ad magnam perfectionem promota est.

Ex tanta congerie instrumentorum, quae a majoribus accepimus, plurima inutilia, alia potius damnosa quam idonea, visa fuerunt, atque hinc superflua. Alia plurima imperfecta quidem deprehensa sunt, sed quae tamen emendationem admiserunt. Haec post factas necessarias mutationes retenta sunt; et cum experientia docebat, non obstante multitudine tanta instrumentorum, plura tamen adhucdum desiderari, ad diversos fines necessaria, hinc cogitatum est de inveniendis *novis*, inter quae alia ceu utilia, alia imo ceu necessaria, suscepta fuerunt.

In delectu medicamentorum pro exercitu respectus habebatur partim ad eorundem simplicitatem, partim ad solam efficaciam et pro militibus aegrotantibus necessarium usum. Ad eandem legem delectus instrumentorum institutus fuit; dum in arcis instrumentariis singularum legionum aut cohortium instrumenta duntaxat illa accepta sunt, quae tam simplicitate sua quam perfectione interna praestabant reliquis, et pro

quo-

quorum bonitate omnium chirurgorum eruditorum peritorumque experientiá spondet.

In hunc finem multa instrumenta, quae sola ex antiqua consuetudine aut ab autoritate locum in arcis occupaverant, tanquam superflua debebant excludi, alia multa corrigi, et plura ab integro suscipi nova; prouti ex subjunctis elenchis videre est.

Instrumenta ad artem obstetriciam et ad resuscitandos pseudomortuos necessaria, quorum usus in praesidiis, quam in castris, frequentior erit, in qualibet legione vel saltem nosocomiis praesto esse oporteret, comparanda etiam ex legionariis vel potius nosocomiorum pecuniis, utpote quae magnos sumptus non exigunt.

In novis instrumentorum arcis ordinandis etiam curae fuit, ut illorum, quae in ipsa operatione nonnunquam damnum patiantur, numerus duplex habeatur.

Saepe in decursu hujus appendicis sermo erit de instrumentis portatilibus, quamvis eadem haec hic non enumerantur. Talis quidem enumeratio videbatur supervacanea, quia tam unicuique medico castrensi

quam

quam fabris instrumentariis ipsis abunde notum est, quaenam instrumenta chirurgica in theca portatili contineri debeant.

I. Elenchus
instrumentorum, quibus carere possumus.

Ex instrumentis ad *trepanationem* superflua sunt:

Duae coronae minores — quia quatuor, quas inter aliunde singulae binae sibi similes sunt, sufficiunt.

Trepanum exfolians — cujus loco ad terebrandum trepanum perforans et ad ossa radenda scalpellum rasorium vulgare inserviunt.

Serrula — cujus usus in cranio esse nullus potest.

Elevatorium vulgare — hucusque aeque duo erant. Cur duo? dum unum, utroque fine in usum aptato donatum, adest.

Elevatorium compositum — quicunque terebrationem, ubi vectis adhibendi erat ne-

cessi-

cessitas, instituit, fatebitur, elevatorium *simplex* quidem *semper*, *raro* autem *compositum* in usum trahi posse. Tum etiam simplex, uti chirurgorum quisque facile perspiciet, usui est accomodatius.

Ferramentum apice lenticulari ad deprimendam duram matrem (Depressorium. Menyngophylax) — scalpello cum apice lenticulari compensatur commode.

Scopina ad limanda ossa — non est necessaria.

Scalpella duo ad radenda ossa — unum sufficit.

Culter lanceolae formis — lanceola quaevis idem praestat.

Vulsella — vulsella denticulata in eundem cedit usum.

Scalpella duo recta — quibus quidem alioquin chirurgum quemcunque instructum esse oportet.

Novacula — hanc inter portatilia sua instrumenta chirurgus habet.

For-

Forcipes duo ex chalybe, ad extrahenda ex faucibus corpora inhaerentia (Ostagrae) — vere superflui.

Ex instrumentorum, ad *amputationem* adhiberi solitorum, apparatu carere possumus sequentibus:

Serra ex lamina simplice lata — quia facile in motu sistitur, et omnino quam serra arcuata mordet minus.

Serra duplex — superflua.

Vulsella ad protrahendas arterias — tenaculo aptius pensanda.

Torcular ope bacilli contorquendum cum tribus laminis orichalceis — hoc a novo torculari anglicano cum summis commodis compensatur.

Scalpellum rectum — Est inter instrumenta portatilia cujusque chirurgi.

Acus major ad deligandas arterias majores — superflua.

Forceps pro extrahendis glandibus (Belulcum) — cujus loco alius magis congruus inter instrumenta mista receptus est.

Acus sex ad deligandas arterias — Quare duodecim, si sex sufficiunt?

Ex instrumentorum mistorum numero bene caremus sequentibus:

Acus sex ad suturam nodosam — hae sunt eaedem, quae inter instrumenta ad amputationem occurrunt, cum etiam in amputationibus usui veniunt, hic loci igitur superfluae.

Acus sex ad suturas varii generis — vere etiam superfluae.

Lanceola, cista argento obducta abscondita, ad aperiendos faucium abscessus (Paristhiotomus) — qua carebimus facile, cum instrumentum acuminatum quodlibet, cujus acies tegitur, ejus vices supplebit.

Specillum alatum — usus nullius, et jam diu exsoletum.

Scalpella tria — inter instrumenta portatilia jam invenienda.

Scalpellum hamatum — inutile, et in incidenda ani fistula obsoletum.

Scal-

Scalpella incisoria abscondita triplicia — partim superflua, partim incongrua.

Vulsella ad protrahendas unguium radices — superflua.

Ferramentum argentatum pro operatione fistulae ani — hujus apparatus multiplicis et onerosi in locum receptus est alius simplicior et novus, ad hanc operationem multo aptior magisque accommodatus.

Spathula ad explorandas fauces — pertinet ad instrumenta portatilia.

Tubulus ad deligandos polypos, filo argenteo quatuor ulnarum obvolutus — quo haud opus est.

Instrumentum ad pulveres adspergendos — haud necessarium.

Vulsella ad evellendos pilos — et superflua et minus convenienter constructa.

Odontagra. *Pelicanus* (Forfex. Dentagra. Dentharpaga. Dentiducum.)	Exulent ex hisce apparatibus; cum unusquisque chirurgus, qui dentes evellare novit,

For-

Forceps ad evellendos dentes. *Pes caprae.* (Rhizagra. Vectis.) *Clavis anglicana.*	illa ipse sibi comparet, secumque portet.

II. Elenchus
instrumentorum recens susceptorum.

Ad trepanationis instrumenta suscepta est:

Terebra cum manubrio simplici non arcuato (Trephine appellant) *et cum corona cylindrica*, in qua dentes sunt pyramidales. — Haec praecipue inservit terebrandis ossibus planis, craniique illis locis, ubi terebrae arcuatae commodus negatur aditus.

Instrumentorum ad amputationem numero acesserunt:

Torcular simplex anglicanum — torculari ope bacilli contorquendo longe antepo nendum.

Serrula arcuata — qua deficiente ossa digitorum, metacarpi et metatarsi amputantur difficulter.

Tenaculum — quo arteriae majores post factam amputationem prehenduntur deligandae.

Inter *Instrumenta mista* sunt recepta:

Acus quatuor cum stilis argenteis ad consuenda labia leporina.

Acus triangularis incurva cum cannula sua argentea ad puncturam vesicae urinariae.

Catheteres duo flexiles vernice obducti pro viris.

Forceps ad extrahendas glandes (Ostagra) *ad inventionem clarissimi Percy.*

Cultellus ad operationem fistulae ani, inventus a clarissimo Pott, emendatus a Savigny, acumine mobili armatus.

Cultellus ad findenda ulcera fistulosa ex inventione clarissimi Pott.

Tubulus argenteus, elatere chalybeo instructus, ad sistendam epistaxim.

For-

Forfex cum laminis utrisque scindentibus.

III. Elenchus
institutio arcarum condendis instrumentis recens adaptarum.

Loco trium arcarum, quibus graviter ferratis instrumenta huc usque includebantur, jam unice compendiosa, duploque angustior, arca habetur, orichalco firmata, loculisque duobus, qui tolli possunt, instructa.

In tribus hinc ortis loculamentis instrumenta sequentia reconduntur.

Instrumenta ad trepanationem.

Arcus terebrae — cujus haec facta est mutatio, ut, loco nucis mobilis chalybeae arcui adaptatae, manubrium mobile ex ligno duriori substitutum sit. Cujus quidem mutationis adeo perspecta sunt commoda, ut eorundem mentio ulterior superflua videatur.

Coronae quatuor cylindricae — singulis binis diametro aequales. Hae prae conicis praerogativa gaudent omnibus comperta

nunc

nunc indubitataque; quia nullam in latera vim, quod fieri in conicis, dum altius mordent, solet, exserunt. Nec facile ullus ultra ex metu, ne corona cylindrica praecipite nimis impetu in cranii cavum irruat, conicam, cujus figura hoc impedit, anteponet. Coronae data opera sunt indurandae. Loco cochleae adaptatus est clavus perfecte quadratus, qui in foraminulum arcui insculptum (matricem dicunt) quadrat, ope laminae elasticae ibi firmatus.

Clavis cujus adjumento pyramis intorquetur coronae, tum ex hac resolvitur.

Ferramentum ad radenda ossa — Loco trium eorundem, quae antea prostabant, unicum retentum sufficit; quoniam aliunde stilus scalpelli in simile instrumentum desinit.

Terebra perforans, clavo quadrato instructa.

Ferramentum ad extrahendam laminam terebratam (Tirefond Gallis dictum) — Quod quidem instrumentum maxime necessarium; quale olim plerumque in arcis habebatur

cum dentibus duplicatis, plane erat inutile; nunc mutatum scopo optime respondet.

Scalpellum cum apice lenticulari — Ut plurimum lens nimis lata et in parte convexa eminentior esse solet; qui quidem naevi in illo emendati sunt.

Elevatorium simplex (Vectis) — quo uno reliqua omnia laudata compensantur.

Vulsella cum apice denticulari — ad decerpendos angulos acutos, terebris pluribus exsectis.

Scalpellum, cujus manubrium stilo ad radenda ossa instruitur.

Scopula et Dentiscalpium ex calamo scriptorio confectum, loco specilli ex testudinis crusta et balaenae ossibus.

Terebra cum manubrio simplici (Gallis Trephine) — corona habeat dentes pyramidales. Hoc instrumentum adhibetur ad terebrationem non tantum cranii, sed etiam utiliter ad perforationem ossis sterni aliorumque ossium planorum.

In-

Instrumenta ad amputationem.

Torcular simplex anglicanum — quod applicatur commodius multo, celerioremque opem promittit, quam torcular vulgare bacillo contorquendum.

Torcular Petitianum — quod adhiberi in amputationibus ossium majorum, imprimis femoris quam securissime potest.

Cultri bini recti — major alter, alter minor. Quantum scalpella recta praecellant curvis, ita evictum est, ut causae expositio hic superflua sit.

Scalpellum anceps ad discindenda ligamenta interossea.

Serra arcuata, pro qua lamina altera in promptu sit — Haec anteponenda est serrae ex lamina simplice lata constanti; quia ultima haec et impeditur facilius, et generatim segnius mordet.

Serra arcuata minor — qua in digitis, ossibusque metacarpi et metatarsi amputandis carere non possumus.

 Tena-

Tenaculum — in methodo deligandi singulatim arterias majores quacunque vulsella utilius magisque congruum.

Acus incurvae ad deligandas arterias, per circumpunctionem.

Instrumenta mixta.

Acus sex ad suturam clavatam — quas incurvas esse omnino oportet, illarum adinstar, quae deligandis arteriis inserviunt.

Acutenaculum.

Acus ad operationem aneurismatis — qua quidem in casu possibili deligationis arteriae expansae haud facile carebimus.

Acus ad deligandam arteriam intercostalem — in qua crus arcus superius, quod versus apicem foramine oblongo latoque pertusum est, ad minus pollice longius esse debet crure altero, quod in manubrium rectum terminatur. Quae mutatio usum instrumenti multo faciliorem reddit.

Acus ad excitandum setaceum — testudinis crustae interposita.

Lan-

Lanceola incurva, in tubulo argenteo recondita, ad tracheotomiam — cujus curvatura et usum reddit commodiorem, et parietem asperae arteriae posticum a stimulo defendit.

Acus quatuor ad operationem labii leporini — stilos quidem argenteos, acus chalybeas, lanceolatas, cumque prioribus ita esse oportet junctas, ut facillime disjungi queant.

Acus triangulares duae, tubulis argenteis opertae, discis in scaphulas argenteas desinentibus — quarum una sit crassior altera. In universum autem diameter semper amplior sit quam angustior, ut seri, saepe mucilaginosi, profluvium, quantum fieri potest, facilitetur.

Acus triangularis incurva cum tubulo argenteo ad puncturam vesicae urinariae.

Virga balaenata flexilis, cujus extremitati spongia alligata est, ad aliena faucibus inhaerentia detrudenda.

Catheteres duo argentei in usum virorum — diametro diversi, quos solam versus extremi-

tremitatem paululum esse incurvatos oportet.

Catheteres duo flexiles, vernice obducti, in usum virorum — catheterum hujusmodi commoda adeo perspecta sunt, ut r[illegible]tionis causas hic adducere supervacaneum sit. Hoc unum monuisse sufficit, ut ante usum mucilagine gummosa aut albumine ovi illinantur, nec unquam oleo.

Catheter alius in usum faeminarum.

Forceps ad extrahendas glandes — ad inventionem clarissimi Percy.

Vulsella decerpendis unguibus inserviens.

Forceps ad evellendos polypos.

Siphones duo — quorum *major* in injectionibus *faucium*, *minor* in injectionibus *vulnerum* adhibetur.

Cultellus incurvus ad findenda ulcera fistulosa ani, cum cuspide mobili, qui sua se simplicitate prae ferramentis omnibus reliquis complicatis, quae ad fistulam ani laudantur, commendat.

Cultellus incurvus, in apice nodulo instructus — ad findendos canales fistulosos, omni commendatione dignissimus.

Tubulus argenteus, elatere chalybeo donatus — ad sistendam epistaxin.

Forfex cum laminis utrisque scindentibus.

DE

DE APPARATU DELIGATIONIS

APPENDIX ALTERA

AD DILUCIDATIONES NOVAE PHARMACOPOEAE AUSTRIACAE CASTRENSIS.

Pars illa essentialis chirurgiae, quae fascias adposite injicere docet, rerum omnium ad deligationem chirurgicam spectantium notitiam in se continet. Qua quidem notitia cum medicum quemvis castrensem, rite institutum, jam aliunde imbutum esse praesuponitur, merito extra dubitationis aleam po-

situm

situm assumitur, quemvis varii generis fascias, splenia, resque alias ad deligationem pertinentes, si quando necessariae fuerint, vel ipsum parare nosse, vel inspiciente se parandas curare.

Cardo rerum in eo vertitur, ut semper penus linteorum linteique carpti prostet, unde fasciae, et quas jam paratas esse oportet, et quas casus fortuiti postulare possent, parentur.

Sumtus illi haud spernendi, quae bracheriis impenduntur (quorum quidem simplex 48 kr, duplex vero 1 fl. 20 kr constat) magnam quidem partem imminui poterunt, si in legione quavis ab uno alterove sartore militari, parum aucto stipendio, curam gerente medico castrensi parantur. Laminae ferreae (prela ferrea) pili equini ad pulvinar, corium, quo hoc obducendum, una cum bilice pro cingulis vix aut ne vix quidem 20 kr. constabunt.

Praeter sumptus imminutos et hoc considerari meretur. Casuum varietas haud raro mutationem aliquam pulvinaris, cinguli, aut ligulae inter femora ducendae postulat, quae quidem si penus aliqua bracheriorum,

ad

ad unam plerumque regulam confectorum, in legione prostat, haud facile mutari possunt, aut si possunt, non nisi modo jam allegato mutanda a medico castrensi curari poterunt.

In posterum igitur plura prela ferrea (a quovis fabro ferreo ad praescriptum medici castrensis facile paranda) una cum rebus reliquis necessariis jam enumeratis ex nosocomiorum compendiis parentur, brachearia ad normam generalem methodo supra descripta in legione quavis conficiantur, et plura semper in usus necessarios parata asserventur.

Ad res pro deligatione necessarias, quas semper in promptu esse oportet, pertinent quoque plures capsae pro fracturis crurum complicatis. Quantopere hoc apparatu sanatio promoveatur, et necessaria aegrotorum transportatio facilis aeque ac secura reddatur, longa inde experientia comprobatum est. In quavis igitur legione hujus generis capsae aliquae, ad normam inventoris cl. Petit emendatae parentur, et inter reliquum deligationis adparatum asserventur.